Magnæ Britanniæ

DELICIAE

seu

INSVLARVM ET REGNORVM QVAE MAGNAE BRITANNIÆ nomine, & Serenifs. Regis Iacobi, &c. imperio hodie comprehenduntur,

DESCRIPTIO:

ex varis Auctoribus collecta, & reliquarum Europæ Nationum iam ante editis Deliciis addita.



COLONIAE,
Sumptibus Vvilhelmi Lutzenkirchij,
Anno MDCXIII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. LENOXIAE DVCI, &c. magnæ Britanniæ Regi ab intimis Conſilijs, &c.

Domino ſuo clementiſſimo.



Elicias tibi offero, Dux Illuſtriſſime, *non illas quidem quæ curioſum palatum valde afficere poſſint; eo tamen non contemnendas, quod ex Inſula longe omnium maxima & nobiliſſima petitæ ſunt. Tibi vero eam ob cauſſam offero, quod domeſticas has velut opes tibi non ingratas futuras ſperem. Etſi profecto quum cogito, totum hoc meum inſtitutum, ac præſertim libelli titulum damno. Quas enim alias aut maiores non è magna tantū Britannia, ſed tota quoq; Europa delicias afferre quis poßit quā quas tu iā cum Nobiliſſimo tuo & lectiſſimo comitatu in Germaniā adducis? Quāuis illū ipſum titulū eo forſan tueri queā, quod Regij huius ſanguinis in hoc ipſo libello fiat mentio.*

Quod superest, Princeps illustrissime, humiliter rogo atque oro, meum vt hunc affectum bonam in partem accipias, vtpote ex mera virtutum tuarum admiratione profectum. Multum tibi magna debet Britannia, quod magno eius Regi tamquã Aeneæ fidissimus semper Achates fueris, & adhuc sis: sed non minus iam tibi nostra debet Germania, quod iam ei velut alterum solem infers, dum serenissimam Regis tui filiam in serenissimam Palatini Electoris domum deducis: quorum progenie, tamquam splendidissimis ac fecundissimis radijs, non Germaniam tantum, sed vniuersam Europam illustratum iri firma spes, certe omnium nostrum votum est. In quo omine desino, maneoque semper

Illust.mæ T. Celsit.

humiliter addictus
cliens
GASPAR ENS.



INSULARUM BRITANNICARUM DELICIÆ.

Ac primum Angliæ nobilissimi regni Descriptio.



Nglia insularum quæ ad Europam spectant, omnium maxima; diuersis temporibus diuersa nomina sortita est. Anglia autem vox Cimbrica seu Saxonica est; & hamum significat quo Piscatores vtuntur, ait Becanus in Saxon. lib. 6.

Olim etiam Albion ab albis rupibus, quæ ad eam nauigantibus primum apparent, dicta est; Britannia etiam vocatur, cuius nominis origo iam dubia. sunt qui à Bruto duce Troiano (quem ex Aquitania huc traiecisse ferunt) sic dictam velint. Beda tamen natione Anglus, à Galliæ populis Britannos appellatos tradit. Angliam alij vocatam volunt ab Angela Saxonum regina, quæ expulsis gigantibus qui tunc eam incolebant, inter suos insulam partiens ac distribuens, vt victoriæ gentisque memoria nunquam intercideret, Angliam à se denominari voluit

Varia Angliæ nomina, eorumque etyma.

A

ri voluit. Paulo aliter refert Volaterranus, qui non à regina Saxonum, sed ab Anglis eiusdem Saxoniæ illustri populo appellatam dicit: quos, cum à Pictis Scotisquè molestarentur, Britanni in auxilium vocarunt, atque hunc tandem terræ bonitate simul & amœnitate inuitati, circumuenerunt, ac Insulanorum bona inter se partiti sunt. Hos tamen Anglos Sueuos non Saxonas fuisse author est Ptolemæus, qui in media VVestphalia ad Amasij fluuij fontes habitarint. Secus paulo Ioannes Maior narrat in historia rerum Scoticarum; ait enim Vortigerum Regem Britãnorum, in subsidium contra Pictos aliosque hostes accersiuisse Engistum quendam Saxonum ducem, qui fusis pulsisque hostibus, ipse tandem in Regni desiderium inciderit, à seque occupatum & captum Engistlant vocari voluerit, atque hinc vnius vel alterius literę metamorphosi, vt sæpe fit, Engellant dici arbitratur. Nec desunt qui credant sic dictam Angliam, quasi anguli terram, vel nostri orbis angulũ. Calcedonia etiam quibusdam ab ingenti in ea eiusdem nominis sylua vocatur. Tota ita hæc insula, natura triquetra, Siciliæque similima est, vel ipso Cæsare teste. Hodie in duo diuiditur regna, Angliæ & Scotiæ. Angliæ regnum vocatur pars insulæ Meridionalis, Galliæ proxima. Terra est eximie fertilis, ac metallis diues: habet enim aurum & argentum, argentum viuum, cuprum, stannum, plumbum, ferri autem exiguam copiam. Nec caret Salis fodinis. quin & margari-

Metalla Angliæ.

margaritas terra producit, & miræ naturæ Gagatem lapidem, in aqua ardentem, oleo autem extinguibilem; lapis nigrogemmeus, nullius ferè ponderis, attritu calefactus, applicata detinet vt succinum. pecoribus alendis non alia aptior terra: lanarum ibi diues mercatura. regioque nobili panno celeberrima, qui inde in longinquas exportatur regiones. Lupos non fert vllo modo, nec vllum venenosum animal, aut rapax, præter vulpem. Terræmotus in ea rari, quemadmodum & fulmina. Diuisum autem est Angliæ regnum in triginta circiter Comitatus: villæ & vici in ea plurimi sunt, vrbesque permultæ Archiepiscopales ex ijs sunt duæ, Eboracum & Cantuaria. Scholæ seu Vniuersitates duæ, Oxonium & Cantabrigia. Londinum totius Regni metropolis, Trinouantum olim, & Troia noua dicta, ad Tamesim fluuium magnis nauibus peruium, celeberrimum ditissimumque emporium, simul & sedes Regia. Eiusdem regni fluuij nauigabiles æstu marino affluentes & refluentes, sunt Seuerinus, qui per VValliam labens, in Verginium Oceanum effunditur. Humbria, qui Eboracum præterlapsus Oceano Germanico excipitur. Incolæ rerum nauticarum peritissimi, nullum fere Orbis angulum inexploratum relinquentes. Multa regnum hoc nobilitate pollet: & quamuis longæua fruatur pace, bellicosissimos tamen ac plane intrepidos producit viros. Legibus vtuntur Angli municipalibus, cû Scoti ciuilibus

Panni Anglici.

Fluuij.

 vtantur.

vtantur. Eadem vtr'que genti in belllo ferocia: sagittis Angli, hasta longa Scoti in acie praeualent. Rara inter eos pax, dum illi propagare, hi retinere imperium student. Lingua Anglica ex multis mixta esse creditur, vt etiam apparet, praesertim Germanica & Gallica, quamuis olim mere Germanicam fuisse verisimile est. Porro de antiquitate ac praenobili Anglorum Regum origine & successione hęc scitu digna breuiter adijciemus.

Regum Anglicorum origo.

Brutum supra nominatum secuti sunt Reges sexaginta octo; eorum postremus erat Casiuellanus, qui cum Regno potiretur, in Angliam venit Iulius Caesar, insulamque armis superatam imperio Romano subiecit, quam postmodo Romani annos fere quingentos tenuere: donec Aetius Burgundionibus Galliam vexantibus, legionem Romanam, qua vna tum quiescebat Britannia, ex insula in subsidium reuocaret; quo tempore Scoti Pictique in Angliam irrumpentes totam insulam deuastarunt. Verum Aetio nullas suppetias insulanis ferente, quamquam saepe illius opem subsidiumque implorarent, indignati Britanni Vortigerium sibi Regem elegerunt, animumque recipientes Saxones Anglos adiutores in Insulam accersiuerunt. qui cum fortiter hostes pugnando omnes ex Britannia pepulissent, ipsi eam sibi vindicarunt, Angliamque primi appellauerunt, atque in septem regna distribuerunt; quorum septimum ac postremum Occidentalium Saxonum Regnum, anno aduentus Anglorum

septua-

ſeptuageſimo ſecundo, Salutis humanæ 520. exordium à Cerditio primo Rege ſumpſit, cuius poſteri toti deinde Britanniæ imperarunt. Horum 36 Rex Heraldus fuit hunc prœlio ab ipſo ſuperatum atque occiſum ſequebatur Guilhelmus Conqueſtor, anno Chriſti circiter 1070. à quo vigeſimus eſt Henricus octauus Pater Eduardi, Mariæ, & Elizabethæ, ſuperioris reginæ.

Generatim quæ dicenda habuimus de Anglia abſoluimus: poſtulat Methodus, vt ſpeciatim & per partes eam percurramus. Britanniæ ab ſe debellatę citeriorem partem in prouinciam redactam, Romani varie diuiſerunt, vt ſupra diximus. Saxones vero pro Pentarchia Romanorũ fecerunt Heptarchiã, in ea ſunt Cantium, Suſſexia, Eaſtanglia, VVeſtſexia, Northumbria, Eaſtſexia, & Mercia. Hodie in Comitatus (quos vel Conuentus vel Pagos proprie & Latine voces) Angli peculiari vocabulo Shyres appellant, diſtribuitur. Ac primum anno à Chriſto nato 1016. Ethelredo regnante tantum xxxii. numerabantur: deinde ſub Guilielmo primo xxxi. Poſtea tres ad numerum additi xxxix. Comitatuum numerum compleuerunt, qui hodie in Anglia obtinet. Quibus accedunt xiii. plures in VVallia, quorum ſex fuerunt tempore Eduardi Primi, reliquos Parlamentaria authoritate conſtituit Henricus Octauus. Hoſce autem Comitatus ſeu Partes Angliæ cum nonnullis Inſulis Mercator ſex tabulis luculenter expreſſas exhibet.

Harum omnium partium, quo ordine ab Geographis proponuntur, delineationem quam poterimus fideliſſime proponemus. Offert ſe primo loco Northumbria, vulgo Northumberlant, Trianguli ſed non æquilateri figura quodammodo incluſa iacens. Meridionale eius latus Dervventus in Tinam influens, & ipſe Tina claudit, qua Dunelmenſes ſpectat, Orientale latus mari Germanico pulſatur: Occidentale vero quod ab Occaſu brumali in Ortum æſtiuum, primum concatenatis montibus, inde Tueda flu. protrahitur, Scotiæ obvertitur, regionumq; limes eſt. Terra ipſa magna ex parte aſpera eſt, ac cultu dura. Ad mare & Tinam adhibita mediocri cultura ſatis eſt colono grata, alibi vero multo ingratior, & quaſi horridior. Plurimiſque in locis lapides illi Lithanthraces, quos Seacoales Angli vocant, magna copia effodiuntur. Hæc autem prouincia ab Oſca Hengiſti fratre, & filio eius Iebuſa in Saxonum poteſtatem redacta, primum ſuos duces clientelari iure Cantij regibus obſtrictos habuit. Inde cum regnum Bernicorum conſtitutum eſſet, quod à Teſi ad Scoticum fretum pertigit, pars eius optima fuit, paruitque Nordanhumbrorum regibus, qui cum ſuam periodum confeciſſent, quicquid vltra Tuedã erat, in Scoticũ nomen ceſſit; hunc autẽ agrũ Egpertus Orientaliũ SaxonũRex ſuo imperio per deditionẽ adiecit. Alfredus poſtea Danis permiſit, quos Athelſtanus pauculos

Northumbria.

Situs.

Soli qualitas.

Imperium Maiorum.

Minorum virium.

poſt

post annos exturbauit, Eilricum tamen Danum populus postea in regem extulit, quem Ealdredus Rex statim expulit. Deinceps vero regium nomen in hac prouincia desijt, Comitesque qui præfuerunt dicti sunt. Incolæ bellicosissimi sunt, & velites. Cumque omnino Marti se quasi consecrarint, non est inter eos quispiam melioris notæ, qui suam turriculam, aut munimentum non habeat, & quamplurimos olim Baronum titulo honorarunt Reges etsi tenuioris fortunæ, vt militarem virtutem vel honorē inter eos conseruarent. Est in Northumbria vrbs Nevvcastle portu nobilis, quem Tinae ff. cit, sua profunditate naues valde magnas admittens, & ita defendens, vt nec tempestatibus facile iactari nec vadis affligtari possint. Quod nomē olim fuerit in comperto non est. Cum Normannicum Imperium inciperet, à Monachis Monkecester vocabatur, statimque à Nouo castro quod Robertus Gulielmi Normanni filius extruxit, hoc nouum nomen Neucastle induit, magnaque paulatim incremēta cū maritimis Germanis contrahendo, & fossiles carbones quibus regio abundat, in alias Angliæ partes subuehendo, cepit. Est & vltimum Angliæ & mūdissimū totius Britanniæ opidū Bervvick, quod nomen à Berengario Duce, quem somni arunt, deducunt aliqui. Lelundus ab Aber, quód ostium Britannis sonat, vt Abervvic vicum ad ostiū significaret. Vndecūque vero nomē habet, situ longius in mare porrigitur *Vrbes.* *Flumina.*

ita vt mari & Tueda fere circumuallletur: & alia. Fluuij hic sunt Tina Australis & Borealis (qui sic dictus quod in arctum coeuntibus ripis constringitur, hoc enim Tin Britannica lingua significare affirmant nonnulli). Australis ex Cumbria æditus, prope Alstenmore vbi antiqua est fodina ærraria, cum aliquamdiu se in Septentriones prouoluerit, ad Ortum conuersus, rectà cum muro Pictico procurrit. Tina Borealis e limitaneis montibus, sociatus Redo fluuio infesto, qui ad Redsquier præruptum montem effusus, Rhedesdale, id est, vallem Redi, laudatissimorum velitum altricem rigat. Infra Collerford, vterque Tinæ confluit, qui iam auctus, subindeque auctior, vno alueo vrget ad Oceanum iter. Tueda Angliam a Scotia longo spatio discludit, Limesque Orientalis dicitur. Hic fluuius copiosa scaturigine è Scotiæ montibus erumpens inter limitaneos equites, diu tortuosus errat. Vbi vero proxime Carram vicum accesserit, multis aquis conualescens regnorum collimitia discriminare incipit, ac tandem Tillo recepto in mare Germanicum sese exonerat. Sunt & alij vt Coqueda, Alaunus, Blithus, & VVanspeth, quos omitto, ad secundam partem transitum faciens.

Flumina.

Ea est Cumbria vulgo Cumberland: hæc VVestmorlandiæ ad Occasum præiacet, vltima in hac parte Angliæ prouincia, vtpote quæ ipsam Scotiam ab Arcto attingit, ab Austro & Occidente Hibernico Oceano pulsata, ab Ortu vero super VVestmorlandiam Nor-

Cumbria. Situs.

Northumbriæ contigua. Nomen ab incolis traxit, qui veri & germani Britanni fuerunt, & se sua lingua Kumbri, & Kambri indigitarunt. Terra autem quamuis ob Septemtrionalem situm frigidior, & ob montes asperior videatur, sua tamen varietate perlustrantibus arridet. Post verrucosas enim rupes, & confertos montes, quibus lacus interiacent, succedunt pabulosi colles gregibus referti, quibus rursus substernuntur porrectæ planities frugibus satis fœcundæ. Est in hac prouincia optima & opportuna positione vrbs vetustissima Carlile, à Septemtrione profundo Itunæ alueo, ab Ortu Peterillo, ab Occasu Cauda munita, & præter hæc naturæ defendentis munimenta, firmis mœnibus è saxo quadrato, castello & Citadella quam vocant, armata. Romani & Britanni hanc Luguvallum, & Lugubaliium, siue Lugaballiam, Saxones, teste Beda, Euell. Ptolemæus (vt nonnullis placet) Leucopibiam, Angli Carlile, & Latini Carleolum recentiori vocabulo dixerunt. Romanis temporibus hanc floruisse varia antiquitatis indicia subinde eruta, & celebris eius tunc tenporis memoria satis affirmate loquuntur. Sunt & alia opida Kesvvike, VVirkinton, Bulnesse, Perith, vt vicos & arces silentio præteream. Atque hic ager 58. Parochiales Ecclesias numerat. Habet præterea lacus omni volatilium genere abundātes. Fluuios item, inter quos Irton amniculus in quo Conchæ cum rorem, quē veluti maritum appetunt, oscitatione qua-

Soli qualitas. *Vrbes.* *Lacus.* *Flumina.*

dam hauserint, fiunt grauidæ, margaritasque pariunt, quas accolæ cum resederit aqua venantur. Est & Deruentio, Cokarus, Olenus siue Elenus. Eiden atque alij, piscibus abundantes. Adhæc Oceanus, qui ad littus allidītur, piscium optimorum examina alit, & negligentiam accolis quasi exprobrat, quod minus gnauiter piscaturam exerceant. Montes hic conferti metallis grauidi, inter quos mõtes Dertvventfels vocati, in quibus ad Nevvlandæris venæ opulentæ non sine auro & argento nostro tempore sunt repertæ. Hic etiam inuenitur terra illa metallica, siue saxum inauratum & micans, Anglis Blacke leade dictum, quo ad ducendas lineas, & monochromata pictores vtũtur. Superiorem huius regionis partem intersecat, qui nullo modo tacendus est, Murus ille celeberrimus, Romanæ prouinciæ limes siue clausura, CXXII. millium passuum lõgitudine Seueri opus: qui vt ait Orosius, partem insulæ à ceteris indomitis gentibus vallo distinguendam curauit. Eum Beda 8. pedes latum, duodecim altum fuisse scribit, recta ab Ortu in occasum linea: cuius non solum vestigia sed etiam fragmenta in longa spatia porrecta & tantum pinnis nudata extant, hodieque conspiciuntur, vt testatur Camdenus. Superest in hac parte Episcopatus Dunelmensis, vulgo the Rishoprick of Durham, siue Duresme, qui Eboracẽsibus ad Septemtrionem confinis in trianguli speciem efformatur, cuius apex ad Occasum coeuntibus ibi Septemtrionali limine &

Montes.

Murus Picticus.

Episcopatus Dunelmensis.

Situs.

Tesis

Tesis fontibus figuratur. Latus quod Meridiem spectat, continuo Tesis decursu terminatur; alterum, quod Boream, primum breui ab apice linea ad Dervventum flumen, inde Dervvento ipso, & Tina flu. cum Deruuentũ admiserit, describitur. Basim vero trianguli, quæ Ortum respicit, ora maritima effingit, quam magno fremitu Oceanus Germanicus grauissime pulsat. Qua in apicem coarctatur campi sunt nudi, sylua rara, colles glabri, sed non sine ferri venis, conualles autẽ satis graminosæ: Angliæ enim Apenninus hunc angulum interfecat. Ad Orientalem autem partẽ, siue trianguli basim, vti etiam ad latera, culturæ terra est perquam grata, redditusque cũ agricolarum labore contendunt, pratis, pascuis, aruis distincta, & carbone fossili quo pro ignis alimento passim in Anglia vtuntur copiosa. Primaria huius regionis vrbs Saxonibus Dunholm, latinis Dunelmum dicta, vulgus Durhã corruptissime vocat. Situ quidem æditiori & sane muntissimo, spatio tamẽ non magno, ouali quodammodo forma, flumine ab omni parte nisi à Septẽtrione circũfunditur & mœnibus armatur. Ad Australem partem fere qua flumen se reducit, Cathedralis Ecclesia surgit, pyramidibus & alta turre conspicua. in medio eminenti tumulo imponitur castrum quodammodo intermedium inter duos pontes è saxo, quibus Vedra fluuius hinc ad Ortũ, illinc ad Occasum cõiungitur castro: ad Septẽtriones forum & S. Nicolai cernitur templũ. Sunt hic præterea opida, Stran-

Soli qualitas.

Vrbes siue Opida.

Strandrope,Derlington,Hartlepole,Binchester & Chester upon the streete, cum multis vicis atque arcibus Numerantur in hoc agro & Northumbria, Ecclesiæ parochiales 118. præter sacella plurima Flumina hic sunt primum T es,Latinis Tesis & Teisa, Polydoro Athesis,Ptolemæo Tuesis appellari videtur Camdeno,apud quem librariorum incuria exulare existimat. Hic Fluuius è saxeto illo Stanemore erumpens, raptisque secum multis vndique torrentibus, per rupes fluens,è quibus ad Eglestoņ marmora cæduntur, ac deinde multa loca alluens, tandē amplo ostio in Oceanum se eijcit, vnde triāguli basis ad oram maritimam inchoatur. Item Vedra,Gaunlesse, Terinentum. Atque hæc de hisce tribus partibus dicta sufficient, ad reliquas pergimus.

VVestmorlandia. Situs. Ad tertiam partem venio in qua primum sese offert VVestmorlandia,ab Occasu & Arcto Cumberlandia, ab Ortu Eboracensi & Danelmensi agro terminata: sic dicta quod magna ex parte inculta sit. Pars Australior, angustiori spatio inter Lonum flumen & VVinandermore conclusa satis ferax in vallibus,licet suas asperas glabrasque cautes ostendat,& Baronia de Kendal dicitur. Deinceps supra Loni fontes latius se explicat *Soli qualitas.* regio,multisque gyris & flexibus montes ex- *Imperium maiorum.* currunt,quibus interiacent alicubi conualles prærupta altitudine,crebris locis speluncarum in modum subruptis.Opidum hic primarium Aballaba nunc Apelby. Est etiam frequen-

frequentissimum opidum Kindale, Lanificij gloria & industria celeberrimum. Atque in hoc Comitatu 26. parœciæ numerosæ habentur. Fluuij sunt Lonus, Ituna, & Eimotus. Lancastri vulgo Lankashire, & the County Palatine of Lancaster; quod sit Comitatus Palatini titulo insignis. Sub montibus, qui per Angliam mediam procurrunt; iacet ad Occasum: inter Eboracenses ab Ortu, & Hibernicum Oceanum ab Occasu ita includitur, vt ab Austro qua Cestrenses respicit, (à quibus Merseio flumine dirimitur) sit latior, censimque in Boream procedens, qua VVestmorlandiæ confinis, coarctetur. ibique maris sinu abrumpitur, suique partem non exiguam vltra sinum habet, quæ Cumberlandiæ adiacet. Vbi in campos æquatur, hordei & tritici satis est fertilis; ad montium radices auenæ fertilior, vbique solo tolerabili, nisi vliginosis quibusdam, & minus salubribus locis, qui tamen hæc sua incommoda commodis resarciunt vberioribus. Abrasa enim superficie cespites ad ignis fomitem; & nonnunquam arbores, quæ diu defossæ iacuerunt, præbent. Inferius vero margam ad stercorandos agros affatim alicubi suppeditant. Boues proceris cornibus & composito corpore excellunt Ad vrbes transeo; inter quas primo loco occurrit peruetus illud oppidum Manchester, Mancunium & Manucium variante lectione Antonino. Hoc circumuicinis opidis præcellit suo ornatu, freq. etia, lanificio, foro, templo & Collegio. Est &

Lancastriæ Oppida.

Situs,

Fluuius.

soli fertilitas.

Omes-

Opida. *Lacus.* *Flumina.* *Montes.*

Ormeski ke mercatorium opidum, sepultura Stanleiorum Derbiensium Comitum insigne. Lancaster præcipuum regionis opidum vt alia taceam. Atque hic parœciæ 36. sed valde populosæ recensentur. Plurimi sunt lacus & plaudes, inter quas Merton palus, & Lacus totius Angliæ maximus, nunc VVinander more, pisce sibi peculiari accolis Chre dicto, fœcūdus. Fluuij Merseius, Truuellius, Duglessus, Ribellus, VVyre, Larcus, & Lonus. Montes hic plurimi, iique æditissimi, inter quos ille qui Ingleborrovvhill, Penigent, Pendle hill.

Cestria. *Situs* *Soli qualitas.* *Vrbes.*

Cestria sequitur vulgo Cheshire, & The Countie Palatine of Chester, quod eius Comites iura Palatina habuerint. Ab Austro agro Salopiensi, ab ortu Staffordiensi & Derbiensi, à Septentrione Lancastrensi, ab Occasu Denbingensi & Flintensi circumscribitur, ad Circium vero chersoneso longius in altum abit, quæ inter duos sinus conclusa vtrinque insinuantem Oceanum admittit, in quos etiam sinus omnia huius agri flumina conueniunt. Regio farris & tritici ieiuna, & inops, pecoris & pisciū ferax. Vrbs hic clara quam Ptol. Deunanā, Angli Chester & VVechester. Vrbs hæc quadrata forma, mœnibus quæ duo plus mil. pass. ambitu colligunt, includitur: ad Libonotum, castrum eminet prope flumē à Comitibus constructum, vbi fora Palatinatus bis quotannis habentur. Aedificia sunt nitida, & proiectis Mænianis porticus vtrinque per primarias plateas ducunt. Sunt præterea opida, Finborovv & Condate, nunc Congleton.

ton. Habetque parœcias plus minus 68. hic Comitatus Fluuij hanc regionem interluunt Deua, Anglice Dee, Salmonibus admodum ferax, duobus in VVallia fontibus enascitur, vnde denominatum credunt. Præterea VVeuer, Mersey & Danus. Caernarvonshire, Historicis Latinis Snaudonia, & Aruonia. Latus Septemtrionale & Occiduum mari obiacet, Australe claudit Merionithia, & Orientale Denbighiensis ager Conouio flu interlabente. Qua mare prospicit gleba est satis fertili, & opidulis redimita. In hac præter alia opida est Bangor sedes Episcopalis. Interiora huius Comitatus montosa, aspera, cliuosa. Denbigensis ager, Anglis Denbigshire interius à mari recedit, & in Ortum vsque adDeuam flumen procurrit. A Borea aliquandiu mare, inde Fliutensis regiuncula, ab Occasu Merionithia & Mōtgomeria, ab Ortu Cestria & Salopia circumcingunt. Pars Occidua sterilis, media qua in vallem succumbit, fœcundissima, Orientalis statim à valle naturam sibi iniquiorem, ad Deuam vero multo æquiorem sentit. In hoc autem agro est vallis Cluidæ, amœnitate, fertilitate, & salubritate vere fœlix, in qua Ruthun maximum est vallis emporium. Deinde territorium, BritanniceMailor Gimraid, Anglis Bromfield, lætum admodum, plumbi ferax. Primarium huius tractus opidum Denbigia, vulgo Denbigh, & Cluida fluuius. Flintensis prouinciola, Anglis Flintshire, Denbighiensi agro adSeptetrionē longior quā latior præiacet, Hibernico mari, seu

Flumina. *Carnaruenshire.* *Situs.* *Soli fertilitas.* *Opida.* *Montes.* *Denbighia.* *Situs.* *Soli qualitas.* *Opida.* *Flintshire.* *Situs.*

seu potius Deua æstuario ab Arcto pulsata, ab Ortu Cestriensi Comitatu, ab alijs plagis Denbighiensi finita. Hæc non quidem montana, sed collium prominentia aliquantulum surgens, quæ leniter in fertilissimos agros resupinatur, qui præsertim qua mare prospiciunt, primo quoque anno nonnullis in locis hordeum, alijs triticum, in vni versum secale vicesimo & supra fœnore, & postea auenam in quatuor aut quinque annos profundunt. Est hic opidum S. Asaph Anglis; vbi Episcopalis est sedes, cui parœciæ subsunt multæ: & Rutholam castello egregio nitens. Hic etiam Alen fluuius, prope quem fons est est qui maris æmulus statis temporibus suas & reuomit & resorbet aquas. Merionethshire, Latine Meruinia, à Montgomerico pago ad sinum vsque Lunatum & Oceanum pertingit, quo ab Occasu ita pulsatur, vt nonnullam eius partem abripuisse credatur. Ad meridiem Deua flumine à Ceretica dirimitur, ad Septemtriones Caernaruoniam, & Denpighiam attingit. Ipsa vero inter montium conglomerationes omnium totius VValliæ terrarum hispida magis & horribilis. Opida hic raro: Harlech autem castrum est munitissimum, atque huius regionis primarium: suntque æstuaria duo celeberrima Traith maur, & Traith Bocham, id est, æstuarium maius, & minus. Montes habet altissimos, arctos tamen & in modum arcis acutissimos nec raros quidem, sed creberrimos, & tanta æqualitate confertos, vt in summis eorum vertici-

Soli qualitas. *Merionithia.* *Situs.* *Soli qualitas.* *Opida.*

verticibus pastores confabulantes, vel conuitiantes, si concurrere forte statuerint, à mane ad vesperam vix conuenirent. Montgomeryshire ad meridiem Ceretica & Radnoria, ad Ortum Salopia, ad Boream Denbighia, & ad occasum Merionithia circumscripta, licet montibus plurimum emineat, conuallibus tamen grata fecunditate, cum aruis, tum pascuis vtique felix est, laudatissimorumque equorum fecunda olim genitrix. Primarium huius regionis opidum Montgomery, surgẽti saxo, cui amœna planities subiacet, à Balduino limitis Vallici præfecto constructum. Est & Launethlin, opidum mercatorium. Hic est Sabrina secundum à Tamesi Britanniæ flumen, Seuerne Angli indigitant. Hic statim à fonte ita crebris incuruus flexibus agitur, vt sæpe reuerti credatur, procurrit tamen, seu potius lentus peruagatur hunc agrnm, Salopiensem, Vigorniensem, & Glocestrensem, vitalemque humorem glebæ vbique suppeditans in Sabrinianum fretum se tandem placide exonerat Hic etiam Plinlimon mons in eximiam exurgẽs altitudinem, qui Sabrinam flumen, de quo modo diximus, effundit. Salopia siue Comitatus Salopiensis, Anglis Shropshire, ad ortum Staffordienses, ad Occasum Montgomerienses, ad Meridiem Vigornienses, & ad Septemtrionem Cestrenses attingit. Ampla regio, fertilis & amœna. Opidis & castris vndique stipata est frequentissimis, vtpote quæ limitanea fuerit. Inter quæ huius

Montgomeria.

Situs.

Soli fertilitas.

Opida.

Pinlimon mons.

Salopia.

agri vrbs longe clarissima ex antiqui Vticonij occasu exorta, quam Angli Shrevvsbury dicunt, Latini Salopiam. Sunt & Bishops Castle, Ludlovv, & alia. Numerantur hic parœciæ plus minus 170. Fluuij Temdus, Colunus & Terna. Restant nunc describendæ Insulæ duæ, Mannia & Anglesey. Mannia, Cæsari Mona, Monoeda Ptolomæo, quasi Moneitha, id est, Mona remotior, ad alterius Monæ differentiam, dicitur. Monabia Plinio, MenauiaOrosio & Bedæ, apud quos tamen Meuania perperam legitur, Eubonia Gildæ, Menavv Britannis, incolis Maning, Anglis The yle of man. Iacet aũt medio libramine inter Boreales Hiberniæ & Britãniæ partes, à Septemtrione in Meridiem xxx. plus minus Italica mil. porrecta, latitudinem vero qua maxime patet vix vltra xv. mil, qua minime, viii. extendit. Lini & Cannabim abunde profert, pascua & arua habet satis læta, hordei, tritici, sed præcipue auenæ ferax est, vnde auenaceo pane maxime vescuntur incolæ; pecorum vbique multitudo, & numerosi ouium greges, sed cum oues, tum pecora minora sunt quam in Anglia. Cũ autem siluis sit indiga, bituminoso cespite ad ignem vtuntur. quem dum effodiunt, sæpenumero in suffosas arbores incidunt. Britannos hanc insulam vti Britanniam tenuisse in confesso est, sed cum à Septemtrione gentes tanquam infusi nimbi, pasaustrales plagas inundarint, in Scotorum potestatem deuenit. Inter opida huius insulæ præcipuum censetur Russin

Mona Insula

ſin ad auſtrale latus ſitum, quod à caſtro vbi præſidium habetur, vulgo Caſtletouun appellatur: ſed frequentiſſimum eſt Duglas, quod portus ſit optimus, aditusque facilimus, ad quem Galli, & alij exteri cum ſale ſuo marino commeant, coria, lanam rudem, & carnem bubulam ſalitam ab Inſulanis emercantes. In occiduo autem inſulæ latere ſunt Bala Curi, vbi Epiſcopus plerumque agit qui Eboracenſi Archiepiſcopo ſubeſt, & The Pyle munimentum exigua in inſula poſitum, vbi etiam non pauci ſunt milites præſidiarij. Ipſi vero auſtrali promontorio modica etiam inſula (The calf of Man dicta) prætéditur, marinis auibus quas Puffins, & anatibus illis è ligno putrefacto enatis, quas Angli Bernacles, Scoti Clakes, & Ioland Geeſſe vocant, referta. In medio Mannia Montibus denſius attollitur, è quibus æditiſſimus Sceafel, vnde ſudo cœlo Scotia, Anglia & Hibernia proſpici poſſunt. Controuerſias Iudices, Deemſters vocant, ſine ſcriptis & impenſis dirimunt. Incolæ omnes à furandi & mendicandi oſtiatim conſuetudine ſũt alieniſſimi, ac mire religioſi. Supereſt Anglesey inſ. de qua poſtea agemus.

Cornubia quæ & Cornvvallia Britannice Kernavv, á Meridie Oceano Britannico, à Septemtrione Hibernico, ab Occaſu Antiueſtæo promontorio & Gallico Oceano clauditur, ab Ortu Tamara flumine à Deuonia ſeiungitur. Regio gleba ſatis fertili, ac metallorum diuite vena abundans. Frugũ quoque licet nõ Conuallia

 ſine

fine magno agricolæ laboræ ferax. Nitet hæc regio & inprimis ora maritima creberrimus opidis. Ea ſunt Heilſton opidum ſignandi ſtanni priuilegio celebre, Peryn celebris mercatus, Aruenak, Truro, Grampound, Fovvy, Leſtuthiel, LesKerd, Bodman, Staltashe S. Iies, Columbus, Patſtovv, Stratton, Tamerton, Lanſtuphadon & Saltash. Suntque in hoc Comitatu parœciæ 161. Fluuij ſunt Vale, Favvey, Loo, Liuerus, Haile, Alan & Tamara. Inter portus huius regionis celeberrimus Volemouth, Cenionis oſtium Ptolemæo, æque nobilis ac ipſum Italiæ Brunduſium, nauium capaciſſimus. Deuonia vulgo Denshire ſequitur. Termini eius ab occaſu Tamara flumine: ab Auſtro Oceanus, ab Ortu Dorceſtria & Somerſetũ, à Septẽtrione Sabrinianũ fretum. Hæc vt maiori latitudinis incremento vtrinque quam Cornvvallia excurrit, ita vtrinque portubus accincta commodioribus nec minus ſtanni venis diues, pratis diſtincta lætioribus, ſyluis veſtita frequentioribus: gleba autem alicubi perinde exili. Vrbs primaria Anglis hodie Exceſter, Latinis Exonia, Ptolæmæo Iſca, Antonino Iſca Dumnoniorum. Sunt & opida plurima, vt Plimmouth, quod ſuperiori ſeculo, ex viculo piſcatorio in opidum amplum, ciuiumque frequentia vrbis æmulum excreuit. Hinc fuit Franciſcus ille Dracus Eques Auratus in gloria nauali noſtræ memoriæ facile princeps. Item Lidſton, Plimpton, Modbery, Dermouth, Exminſter

Deuonia.

Plimmouth.

minster & multa alia: Parochiales ecclesias 364. continet. Fluuijque sunt Lid, Teauus, Plimus, Dert, Totnes, Teignus, Isca, Credenus, Columbus, Otterey, Ax, Tovvridge, Tavv, Ockus & North Evve. Somersetensis Comitatus sequitur vulgo Somersetshire. Termini ab Ortu VViltonia, ab Austro Dorcestria, ab Occasu Deuonia, à Septemtrione Sabrinianum fretum & Glocestria. Ditis hæc admodum soli, nusquam non ad fruges, aut pabula eximie fertilis, atque alibi etiam adamantum admodum fœcunda, qui splendore Indicos prouocant, duritie cedunt. Vrbs præcipua Bristolia, pulcherrimis ædificijs, gemino flumine & muro, portu, exterorum commercijs, ciuium frequentia illustratur. Opida habet Theodorudunum nunc VVelles, Bathonia, vulgo Bathe. Atque in hoc agro Parochiæ 385 numerantur, Fluuij Ivel, Frome, Pedred, Thonus, Auona, Somer, Brius, VVelvve. Dorcestria, Dorsetshire: ab Ortu Southamptonia ab Occasu Deuonia, ab Austro Oceano Britannico, à Borea VViltonia & Somerseto terminatur. Gleba vero est fertili, qua Septemtriones spectat, syluæ & saltus diffunduntur. vnde crebris & herbidis collibus, qui numerosos ouium greges pascunt, gratis pascuis à litus vsque descendit. Durnouaria, quod Durnium & Dunium Ptolomæo pro exemplarium varietate dici videtur, nunc Dorchester, primarium totius cõuentus censetur opidum, nec magnum tamen nec speciosum

Somerset. Dorcestria.

sum, mœnibus iam olim Danorum furore nudatum. Sunt & alia, Birt Port, Lime, VVeymouth, Poole, VVarham, Shiburn, Sturminster & VVinburne. atque hic Comitatus Parœcias 248 numerat. Fluuij sunt, Lim, Tretus, Carr, Iuell, VVey, Sturus, Alenus, Varia Latinis, Frau vel Frome Saxonibus.

Viltonia. VViltonia à primario olim opido VVilton denominata, vulgo VVilshire, tota est mediterranea. Terminos ab Ortu Oxoniam & Southantoniam, ab Occasu Sommersetum, à Septemtrione Glocestriam habet. Regio pascuis & frugibus vbique læta VVilton opidum olim fuit totius agri caput, cui appellationem fecit. Sunt & Malmesbury, Crecklade, Calne, Chippenham, Trubridg, Sarisbury & Marleborovv. Atque hic Comitatus Parœcias 304. complectitur. Fluuij sunt Isis, Auona, VVilleybourne, Adderbourne, Ellan, & Kennet.

Glocestria. Glocestria vulgo Glocestershire, ab Occasu VValliam, à Septentrione Vigorniam, ab Ortu Oxoniam, à Meridie Vviltoniã spectat. Regio amœna & fertilis, ab Ortu æstiuo in Occasum brumalem exporrecta. Habet & Ferri fodinas. Primaria huius Comitatus vrbs Glocester, quam Antoninus Cleuum & Gleuum dixit, vulgus Latinorum Glouerniam, alij Claudiocestriam. Antiqua sane vrbs, ac à Romanis condita, Sabrinæ fluuio exporrecta imminet, qua flumine non alluitur, murus firmissimus opponitur. Sunt etiã alia opida, Tevvkesbury, Deorhirst, Campden, Vvinchelscombe, & Cir-

& Circhester, ac Parœciæ 280. hoc Comitatu comprehenduntur. Fluuij irrigant Sabrina, Auen & Isis vulgo Ouse, qui postea recepto Tamo, Tamisis composito vocabulo dicitur. Monumethensis Comitatus, Anglice Monmouts-hire, includitur à Septentrione Munovv flu. qui Herefordienses, ab Ortu Vaga, qui Glocestrenses, ab Occasu Remneio, qui Glamorgenses seiungit, & ab Austro Sabriniano æstuario, in quod illa flumina vna cum Isca mediam regionem intersecante, euoluuntur. Rebus ad victum necessarijs non solum sibi sufficit, sed etiam vicinis affatim suppeditat. Primarium regionis opidum Monmouth, ad Septemtriones qua fluminibus non defenditur, muro & fossa præcinctum erat. in medio proxime forum castellum prætendit. Item Chepstovv, Abergeuenny, Antonino Gobannium, Nevvport, & vrbs Isca Antonino, Legio II. dicta. nunc Caerleon, & Caer Leonaruse Britannis. Glamorgania Anglis Glamorganshire dicitur. Regio tota est maritima, minus latitudine, quam recta regione porrecta, Sabriniano freto à meridie pulsatur. Qua terram vero spectat ab Ortu Monumethenses, à Borea Brechnochienses, ab Occasu Maridunenses adiacēt. Pars Septentrionalis montibus est aspera, qui in Austrū descēdentes paulatim mitescunt, quorū ad radices planities in meridiē extēditur. In hoc agro est tenuis vrbecula Land. i. Fanū ad Taf, cui Parœchiæ subsūt 165. Caerdiffe, Covvbridge, Neah, Svveynsey

Monumethum

Glamorgania.

& Logor, Antonino Leucarũ. Fluuij interluunt Remnius, Taffus, Nidus, & Logor. Ager
Mariduni. MaridunensisAnglis Caermardeshire, continetur ab Ortu Glamorgania & Brechinia, ab Occasu Penbrochia, à Septentrione Ceretica, intercurrente Tiuio flumine, & à meridie Oceano. Hic frugibus satis fertilis, gregibus abundans, fossiliumque carbonũ alicubi ferax. Vrbs primaria totius conuentus Caermarden, PtolemæoMariduum, Antonino Maridunum, pratis & syluis amæna, antiquitate stupenda, coctilibus muris, vt inquit Giraldus, partim adhuc extantibus, egregie clausa, supra nobilem Iouium fluuium. Est & opidum Kidvvelly vetus, quod nunc vetustate quasi desertum fatiscit. Incolæ enim Vendraeth veham fluuiolum transgressi, nouum Kidvvelly substruxerunt, portus commoditate eo allecti, quæ iam tamen tenijs obiectis, fere nulla est. Fluuij sunt Vendraeth Veham, Touy, Ptol. Tobius, & Taf. Penbrochiensis Comitatus, Anglis Penbrocks
Penbrochia hire, vndique mari vrgetur, nisi ad Ortum, qua ager Maridunensis, & ab Aquilone qua parsCereticæ obtenditur. Regio ex Hiberniç cõfinio aeris salubritate temperata, triticea, vinoque venali copiose referta. Principale prouinciæ municipium Demetiæque caput est Pembro, AnglisPenbroke, in saxosa quadam & oblonga rupis eminentia situm. Nobilia etiam huius tractus opida sunt Tenby, Harfoduest, & Meneuia, Anglis hodie S. Dauidis

uidis. Fluuij hic duo. Est hic portus, quem Milfordhauen Angli vocant, quo non alter in Anglia nobilior aut tutior. Ceretica, Anglis Cardinganshire, campestris regio ad Occasum qua mare respicit, vti & ad meridiem qua Tibius fl. Maridunenses secludit; ab Ortu vero & Aquilone qua adBrechinientes & Montgomerienses spectat, continui montes pabulo fecundi perpetua latera trahunt, sub quibus passim diffunduntur Lacus. Precipuum huius regienis opidum estCardigon Est & Aberiswith. Tibius fluuius Ptolemæo Tuerobius hanc regionem percurrit, qui olim Castoribus nunc Salmonibus abundat, Est quoque Ridol, & Ystwith, Ptolemæo Stuccia. Radnorshire forma triquetra quanto magis in Occasum protenditur, in angustum magis magisque contracta, adOccasum Herefordensibus annectitur. Ad Austrum Vaga flumine Brechnochienses discludit:ad septemtrionem adiacentMontgomerienses. Pars eius Orientalis & Australis cultior, reliqua montibus asperior vix vlla cultura mitescit: syluis tamenvestita, profluentibus irrigua, lacubusq; alicubi insperfa. Est hicRadnor præcipium totius tractus opidum, pro regionis more culmeis tectis satis elegans Vaga fluuius Occiduum agri angulum transuersum secat, & occurrentibus saxis fractus subito solo destitutus præcipitatur. Radnoriæ subiungitur ad Austrum Brechinia Hæc ab Ortu Herefordia, ab Austro Monumuthia

Ceretica.

& Glam organia, ab Occasu Caermarinia terminatur. Regio in montes consurgit conuallibus tamen passim fœcundis. Primarium huius agri opidum Brechnock in eius fere vn biluo positum. Sunt præterea Buelth & Hay. Vaga Borealem agri partem alluit. Usca eximius item fluuius mediam percurrit. Herefordiensis Comitatus

Herifordia

siue Herefordshire, forma quasi circulari, ab Ortu Vigorniensibus & Glocestriensibus, à meridie Monumethensibus, ab Occasu Radnoria & Brechinia, à Septemtrione Salopia definitur. Regio est amœna pascendisque pecoribus & alendis frugibus mitissima. nunc Harefordia, vrbs huius Comitatus prima, pratis gratissimis, & aruis vberrimis intersita, fluminibus fere incincta, ad Septemtrionem & Occasum Anonymo, ab Austro Vaga, qui è VVallia huc accelerat. Sunt & Lemster, VVebleia, Ledbury, Rosse. Numerantur hic parœciæ 176. Flumina hic sunt eximia, Vaga, Lugus, Munovv, & Dorus. Vigorniensis Comitatus vulgo VVorcestershire, ab Ortu VVarvvicenses, à Meridie Glocestrenses, ab Occasu Herefordienses, ab Aquilone Staffordienses habet. Regio hæc cœlo & solo propitio vtitur. Præcipua vrbs est, VVorcester, Latinis Vigornia. A Romanis videtur condita. Hic ager parœcias 152. numerat. Flumina hic Sabrina & Auona.

Succedit

Succedit explicanda quinta pars Angliæ in qua primo loco Ager Eboracensis vulgo Yorkshire, totius Angliæ Prouincia longe maxima, occurrit. Ab Occasu, montibus, Lancastrensi agro & VVestmorlandia, ab Arcto Dunelmensi Episcopatu terminatur: ab Ortu Oceano Germanico, ab Austro primum agro Cestrensi & Derbiensi, inde Nottinghamensi & postea Lincolniēsi. Temperatæ hæc censetur vbertatis Si hic saxosa vel arenosa sit sterilitas, illic lætissima aruorum fœcunditas, si hic syluis sit nuda, illic densissimis nemoribus obumbrata, ita prouide temperante natura, vt ipsa regio etiam sua varietate gratior & lætior videatur. Est hic Eboracum vulgo Yorke vrbs totius Angliæ secunda, huius regionis pulcherrima, quæ vniuersæ septemtrionali parti præsidio & ornamento est singulari. Amœna, ampla, munita, ædificijs tam priuatis, quam publicis exculta, opibus ciuibusque referta. Hanc Vrus qui nunc Ouse. interfecat, & quasi in duas vrbes diuidit, quæ lapideo ponte vastissimo coniunguntur. Sunt & Kingston vpon Hul, Damcaster, Halyfex, Dōfreit, Shirborna, VVetherby, Kingste, Patington, aliaque opida plurima. Opida enim triginta nouem & parœcias 459. in hoc Comitatu numero, quibus subsunt plurima sacella magnis, parœcijs incolarū multitudine cōparanda. Latiora flumina sunt Danus, Caldorus, Arus, VVerfus, Nidus, & Ousa, quæ ex limitaneis montibus exorta, locis latioribus Eboracum.

affundun-

affunditur. Sunt & alia, Cokarus, Fossus, Deruentio, Foulnesse, Hullus, Teyse, Dovv, Rhie Recal & VVilkus. *Lincolnia.* Lincolnia vulgo Lincolnshire, Regio amplissima, per sexaginta fere milliaria in longitudine iacet, latitudinem alicubi super triginta extendit. Ab Ortu Oceano Germanico pulsatur, à Septemtrione ad Abum æstuarium pertinet, ab Occasu Nottinghmiam spectat, & à Meridie VVellando flu. à Northantonia discluditur. Regio alendis pecoribus mitissima, frumentarijs campis alibi, & pascuis admodum lęta. Prima & præcipua huius Comitatus ciuitas Lincolnia, Anglis Lincolne, Ptolemæo & Antonino Lindum. Vrbs ipsa ampla & celebris collis dorso insidet, vbi VVithama in ortum se deflectit. Sunt præterea opida Stanford, Grantham, Ancaster, Crovvland, Spalding, Boston & alia. Suntque in hoc Comitatu Parœciæ plus minus 630. Crebris hæc regio Fluuijs rigatur, qui sunt, VVitham lucijs fecundus, Lud, Trenta, VVellandus, Idel, Danus. *Darbiensis Comitatu.* Sequitur Prouincia Darbiensis vulgo Darbishire, quæ à Meridie agro Leicestrensi, a si Occasu Staffordiensi, à Septemtrione Eboracensi, ab Ortu Nottingamensi clauditur, forma quasi triangulari, sed non æquilatera. In duas partes Deruentione flumine intercurrente diuiditur. Pars Orientalis & meridionalis culta, fecunda & viuarijs frequens; Occidentalis tota petrosa, montibus & asperis sterilescit, plumbi tamen prouentu opulenta,

opulenta,& ouibus pascendis satis commoda. Vniuersi agri caput Darby, opidum celebre è iuridicis cōueutibus pro vniuerso agro, & ceruisia quam coquit optimā, Anglis Ale dicta. Sunt etiam alia, S. Diacre, VVorkesvvorth & Blacvvel. Atque hic Comitatus Parœcias 106. includit Fluuij Trenta, Douus & Deruentio. Pars Occidētalis huius Prouinciæ quæ tota collibus eminet, Peake dicitur, Plūbi admodum ferax. In his enim montibus lapides plumbarij feraces, vt vocant Metallici, quotidie magna copia effodiuntur, quos in collibus Fauonio obversis, obseruatis temporibus cum Fauonius flare cœperit, magna lignorum vi accensa, excoquunt, & effossis canalibus quibus defluat, in massas conflant. Nec Plumbum solum, sed etiam stibium (vulgo Antimonium vocant) hic in proprijs venis reperitur, quo in tingendis cilijs Græcæ mulieres olim vsæ leguntur. Lapides etiam molares hic excinduntur, cotes etiam ad ferramenta exacuenda, & nonnunquam fluor quidam candidus in fodinis reperitur, qui per omnia Crystallo est simillimus. Sed de his satis, ad Staffordiam transeo, Staffordshire, quæ, ab Ortiua plaga VVarvvicensibus & Derbiensibus, à Meridiana Vigorniensibus, ab Occidua Salopiensibus, præcincta quasi rhombi forma, ab Austro in Septemtriones procurrit, medio latior, & extremis se angustantibus. Pars septemtrionalis montana & minus læta, media Trenta flumine perfusa *Staffordia.*

lætior,

lætior, syluis amica, aruis & pratis variata: vti & Meridionalis, quæ etiam carbones fossiles habet, & ferri venas. Totius huius agri caput olim erat & nunc est Stafford, cui maximum tamen decus à Stafford castro adiuncto, quod Barones de Stafford sibi in sedem construxerunt. Sunt hic etiam Lichfeldia, Burton, Vtcester, Stone, Drayton, Bassett, Tamevvorth, Vulfrunshampton, Theotenhall, & vveadesbirig. Atque in hoc Comitatu Parœciæ 130. habentur. Flumina hanc regionem irrigant Douus, Hansus, Churuet, Tayn, Blith & Trenta. Hic è duobus fontibus effluens, suo quasi iure tertium sibi locum inter Britanniæ flumina vendicat. Item Sous, Tama, & Pankus. Pars Septentrionalis montibus non magnis leuiter intumescit, qui hinc exorsi, vt Apenninus Italiæ, per Angliam mediam perpetuum dorsum perpetuis iugis elatum ad Scotiam vsque, nomine sæpe mutato agunt. In parte huius agri media Needvvod sylua spatiosa, viuarijsque repleta diffunditur, in qua circumvicina Nobilitas hilares venandi labores grauiter assidueque exercet. Comitatus Notinghamiensis, Anglis Notinghamshire, ab Ortu Lincolniensi confinis est, à septemtrione Eboracensi, ab Occasu Derbiensi, à Meridie Leicestrensi terminatur. Partem Meridionalem, & Orientalem Trent flumen nobilissimum, influentesque riuuli fœcundant: Occiduam a item partem saltus de Schirevood longe se porrigens, totam occupat.

Notingamia

Hanc

Hanc quod arenosa sit, The Sand: illam quod argillacea, The Clay, vocant incolæ, & in has duas partes, regionem suam distribuerunt Vrbs præcipua, quæ nomen Comitatui præbuit, Nottingham, loci ingenio amœna. Hinc enim ad flumina spatiosa procumbunt prata, illinc faciles consurgunt colles, omnibus etiam quæ ad vitam pertinent, copiosa. Hinc Schirevvod lignum in ignis alimentum, illinc pisces Trenta large suppeditat. Amplitudine denique, structura, vno & altero eleganti templo, foro longe pulcherrimo, & munitissimo castro & sane speciosa. Opida præterea hic sunt Suthvvell, NevvarKe, Mansfuld, Blith, Sxroby & VvorSensop. Atque in hoc agro 168. Parochiales Ecclesiæ visuntur. Flumina Trenta, Linus, Snite, Idle. Notingamiæ à Meridie confinis est Prouincia Leicestrensis, vulgo Leicestershire, ab Ortu Rutlandia & agro Lincolniensi, à Septentrione Nottinghamiensi, & Derbiensi, ab Occasu Vvarvvicensi, à Meridie Northantonensi præcingitur. Tota cāpestris, frugibus opima, sed syluis maximam partem indiga. Primaria totius agri vrbs Leicestria, Leogara, Legeocester, & Leicester, apud authores dicta. Hæc maiorem vetustatem quam dignitatem præ se fert. Est & Loughborrovv, Luttervvorth, Hinckly & Bosvvorth. Atque intra hunc agrū Parochiales Ecclesiæ 200. numeratur. Mediā hanc Soarus flumen Trentam petens alluit, Orientalem vero partem VVrekus fluuiolus qui *Leicestria.*

qui Sarro demum commiſcetur, placide per-
errat. Rutlandia vulgo Rurlandshire, Leice-
Rutlandia. ceſtrenſi agro quaſi includitur, niſi à Meridie
qua VVellando fluuio incumbit, & ab Ortu
qua Lincolnienſes attingit. Spatio eſt multo
minori, vtpote totius Angliæ prouinciola
minima. Forma enim fere circulari circum-
ſcripta, tantum circum colligit, quantum ex-
peditus eques vno die conficere poſſit. Non
minori hæc regio ſoli vbertate & amœnita-
te, licet ſpatio ſit minori. Eſt in hoc agro Vp-
pingham, non ob aliud memorandum, quam
quod totius agri primarium habetur opidum,
& Scholam elegantem oſtendat, quam, vti e-
tiam Okehamiæ, ad puerorum ingenia bonis
litteris excolenda, laudabili inſtituto R. Ihon
ſon ~~Verbi diuini Miniſter~~, non ita pridem
poſuit. Eſt & Okehamia cuius modo mentio-
nem feci. Eccleſijs autem Parochialibus 47.
ornatur hæc Prouinciola. VVash, ſiue Gvvash
fluuiolus, qui hunc agrum ab Occaſu in Ortū
quaſi medium intermeat, in duas diſpeſcit
partes. Reſtat in Pinace Norfolcia breuiter
Norfolcia. explicanda. Ea vulgo Northfolke, id eſt, ſi la-
tine interpreteris, Borealis Populus. Termini
eius à Meridie Suffolcia, ab Euro & Septem-
trione Oceanus Germanicus, à Zephyro Ou-
ſe flumen. Regio eſt ampla, fere omnis cam-
peſtris, niſi qua faciles aſſurgunt colles, ad-
modum opulenta, ouium gregibus refertiſſi-
ma, cuniculisque inprimis ferax: aquis irri-
gua, ſyluis non omnino indigna: ſolum pro
loco-

locorum diuersitate varium,alicubi pingue, luxurians,& ſucculentum, alibi argilloſum & cretaceum. Inter vrbes huius Prouinciæ primum occurrit vetuſta illa quam memorat Antoninus vrbs, Sitomagus,nunc Thetford. *Vrbes & Opida.* Raris hæc nunc eſt habitatoribus,licet ſatis ampla,olim vero frequens & celebrata. Eſt etiam in hac Prouincia Norvvicus vrbs celeberrima, Anglis Norvvich:& Yarmouth portus opidumque elegantiſſimum,loci ingenio & ſolerti opera permunitum.Quam vis enim aquis pene circumvalletur, ab Occaſu flumine,quod verſatili ponte inſternitur,ab aliјs partibus Oceano, niſi ad Septemtriones qua continens eſt;mœnibus tamen ſatis firmis quæ cum flumine formam quadrilateram,oblongiorem efficiunt,pulcherrime includitur.Item Aſchel Thorp,Dis, Shetton, Skulto,Attleburph,VVauberue,Lyne,svvafham,Nort Elmeham, Dereham, Vvimondham,Ichrovv, & alia Opida enim mercatoria 27. villas & pagos ſexcentos viginti quinque hæc regio exhibet,& Parochiales Eccleſias plus minus 660.Fluuij eam irrigant Ouſe-Thet, VVeueney, Garienis Anglis Gerne,& Iere,& VVentſus.Et vt de Mari aliquid etiam addam,è regione Yarmouth,Halecum *Maris commitates.* captura totius Orbis eſt vberrima & quæſtuoſiſſima.Incredibile enim videatur,quantę & quam frequentes Nundinæ hic ad feſtum Michælis habeantur,& quanta vis Halecum, aliorumque piſcium diſtrahatur.Porro ſoli

C huius

huius prouinciæ bonitatem de qua supra loquuti sumus, vel ex eo colligas, vnde Varro colligere iubet, quod incolæ optime niteant: vt taceam ingenia versutissima, & in Iure Anglico municipali acerrima. Sed de his satis copiose, ad partem sextam transeo.

Vuarvicum. In vi. Angliæ parte Vuarvvicensis pagus Anglis Vvarvvickshire, ab Ortu Leicestria & via militari, ab Austro Oxonia & Glocestria, ab occasu Vigornia, & à Septemtrione Staffordia finitur, qui in duas distinguitur partes, in Feldon scilicet & Vvoodland, i. in regionem campestrem & nemorosam. Præcipuum totius agri opidum Vvarvvicke. Sunt præterea Leamington, Vchindon, Harbury, Mancester, Conuentry, Stradford & alia; continenturque in hoc Comitatu Parochiales ecclesię. 58. Flumina, Auona, Leamus, Arrovv, Alenus. Sequitur ager Northantonensis vulgo Northantonshire, qui ab occasu

Northanton. brumali qua latior est, sensim se contrahendo in ortum æstiualem protenditur. Ab ortu Bedfordienses, & Huntingdonenses, ab Austro Buchinghamienses & Oxonienses, ab occasu VVarvvicenses, & à Septemtrione Leicestrenses, Rutelandenses, & Lincolnienses Vvellando flumine discriminati sedent. Campestris regio est, soli admodum ditis, siue arua siue pascua respicias. Vrbs huius agri Northamton; Opida Brakeley, Dorcester, Grafton, Dauentrey Vvedon, Higham, Oundale, Peterborovv, Vvelledon. Atque ad hũc agrum

agrum Parochiæ 326. pertinent. Flumina Vsa, Auona, VVellandus. Tertiũ locum tenet Hũtingdonia vulgo Huntingdonshire eo situ locata, vt ab Austro Bedfordienses, ab occasu Northanthonenses, vt etiam à Septemtrione, qua Auona flu. dirimitur, & ab Ortu Cantabrigienses spectet. Regio sementi satis apta, pascendo pecori, ad ortũ qua palustris est, vberrima, vbiq; fere collium apricitate, & nemorũ opacitate amœna. Præcipuum totius Comitatus Opidum Huntingdonia, cui & nomen dedit tã situs fulgore quã sui decore. Sunt & S. Iues, S. Needes & Cunnington: Pa rœciæque 78. in hac regiuncula numerantur. Flumen Vsa, quẽ sæpe dixi eã alluit, & Auona. Quartũ in locũ venit ager Cantabrigiensis vulgo Cambridge hire, qui in aquilonẽ productus Norfolciæ & Suffolciæ obiacet, à meridie Orientalibus saxonibus & Hertfordensibus, ab occasu Huntingdonensibus, à Septentrione Lincolniensibus & Ousa flumine, qui ab occasu in ortũ trãsuersum intersecat, in duas partes dispertitus. Inferior & Australis magis culta, magis consita, ideoque lætior, non perlibrata planitie, sed exigue plana, plurima, imo tota (nisi qua crocum copiose progignit) frumentarijs iacet campis, hordeumque laudatissimũmque affatim effundit. Vlterior & Septentrionalis pars, pascuis vberrimis perviridis & læta. Vrbs in hoc Comitatu Cantabrigia Angliæ Academia, imo sol & oculus, clarissimaque bonarum literarũ & pietatis officina ad Camũ fe-

Huntingdon.

Cantibrigia.

dens. Sunt prætereа Roiston, Rech, Burvvel, Elye, Parochiæquæ 163. in hoc Comitatu continentur. Fluuij Camus & Surus.

Suffolcia. Suffolcia sequitur ab Occasu habens habens Cantabrigienses, ab Austro Sturũ fluuium qui eã ab Essexia diuidit, ab ortu Oceanum Germanicum à Septemtrione duos Eluuiolos Ouse minimum, & VVaueney, qui ex eodem quasi fonte in diuersa fluentes, à Norfolcia disterminant. Regio satis ampla, soli nisi ad Orientem, admodum pinguis, vt pote ex argilla & marga compositi, vnde lætissima vbique arua, & vberrima saginando pecori pascua, caseique magno numero conficiuntur. Est hic Sudbury, id est, Australis Burgus. Sunt & hæc opida Ixning, S. Edmunsbury, Bretenham, Hadley, Ibsvvich, Debenhamia, Oreford, & alia plurima Fluuij autem Sturus, Bretenus, Gipping, Debenus, Orus, Ouse, VVaveney, Gariensis.

Oxonia. Huic succedit Oxoniensis ager vulgo Oxfordshire, Glocestrensi ad Occasum coniungitur, ab Austro Iside fluuio á Barkshire excluditur, ad Ortum Buckinghamiensi agro definitur, ad Septentriones hinc Northantoniensi, illinc VVarvvicensi, includitur. Regio fertilis & opima, plana aruis & & pratis sunt exculta, colles crebris syluis obsessi, nec frugibus tantum, sed omni genere animantium, vbique referta. In hoc Comitatu eminet Oxonia vulgo Oxford, altera Angliæ Academia, alter Sol, Oculus, & Anima, literarum & sapientiæ clarissima officina, vnde Religio, humanitas

manitas & doctrina in omnes Regni partes vberrime distribuuntur. Sunt præteria Blabac, Burfurd, Minsterlouel, VVhitney, VVodstocKe, Banbury, Burlester, Tama, Dorchester, VVatlington, ac 280. Parochiæ. Sunt hic fluuij Isis, Chervvel, VVindrusshus & Evenlode. Buckinghamia septimo loco est. Huius ager minori latitudine conclusus à Tamesi ad Septemtriones longitudine sua procurrit. A Meridie Bercheriam, Tamesi seclusam, ab Occasu agrum Oxoniensem, à septentrione Northantonensem, ab Ortu primum Bedfordiensem, inde Herrfordensem, & postea Mediosaxones prospicit. Solo est passim vberi, ac pabulosis pratis innumerabiles ouium greges pascit. Caput totius Conuentus Buckingam. Habet & Marlovv, High VVicham, Colbroke Amersham, Crendon, Stony, Stratford, Oulney, Nevvport, Panel. Atque in hac regione Parœciæ 185. numerantur. Fluminaque Tamesis, Colnus, Vsa. Bedfordiensis ager sequitur, vulgo Bedfordshire, ab Ortu Cantabrigiensi, ab Austro Hertfordensi, ab Occasu Buchinghamiensi, à Septemtrione Northantonensi & Huntingdonensi coniunctus, Vsaque interfluēte in duas partes diuisus. Quæ Septemtriones spectat, fertilior est, & nemorosa: altera ad Meridiem quæ multo maior, solo est tenuiori, sed non omnino ingrato. Hordeum enim plenum, album & crassum affatim profundit In medio syluis nonnihil densa, sed ad Ortum magis siticulosa, & arboribus nuda. Primarium opi-

Buckinghamia.

Bredford.

um opidum Bedfordia, vnde & Regioni nomen. Habet & alia, Odill, Bletnesho, Faton, Dunstable: Parœciasque 116. hæc prouinciola continet. Atque Vsi fluuio irrigatur. Agro autem Bedfordiensi à Meride adiacet Hertfordia siue Hertfordshire, cuius Occidentale latus claudunt Buchinghamienses, Australe Mediosaxones, Orientale Saxones Orientales, & partim Cantabrigienses. Frumentarijs agris, pascuis, pratis, nemusculis, fœlix. Caput Comitatus censetur Hertfordia, quæ agro vniuerso nomen suum communicauit. Sunt præterea VVatlingstreat, Fanum Albani, Roiston, Ashvvell, Bishops, Stortford, aliaque multa. Parœciasque 120. habet hic Comitatus. Fluuios Leam, Stort, Mimeram, & Beneficiam. Ad Essexiam nunc venimus, vulgo Essex. Hanc ad Septemtriones Stourus flumen à Southfolcia diuidit, ad Ortum Oceanus se insinuat, ad Austrum Tamesis iam grandis à Cantio secludit, vti ad Occasum Ley fluuiolus à Mediosaxonibus, & in eum influens Stourus minor siue Stort ab Hertfordensibus. Regio est lata, frugifera, Croci fœcunda, nemorosa & inprimis opulenta. Est hic Camalodonum, nunc Maldon. Item Colchester, Leiton, Beamfleot, Leeh, Rochford, Angre, Ralegh, Dunmovv, Plaissy, Chelmerford, Ithancester, Earles, Colne, Barklovv, Vvalden Parœciæ 415. Fluuij Ley, Tamesis, Chelmer Froshvvell, Colne. Bercheria sequitur vulgo Barkshire.

Hertford.

Essexia.

Huius

Huius Septemtrionalem partem Isis qui postea Tamisis, flexuoso, sed amœno admodum blandus alueo perfundit, & primum ab Oxonienſibus, poſtea à Buchinghamienſibus ſecludit. Auſtralem partem irrigat Cunetio flu. donec Tamiſi ſe inferat. Ad ortum qua latior eſt, & parte media, ſuarum opum ſatis prodiga, & frumenti ferax, præcipue, vbi in vallem ſubſidet. Orientalem autem partem quæ minus fertili gleba, ſaltus & ſyluæ longe lateque occupant. Opida hic Farendon, Abbendonia vulgo Abbandune, Vvantage, Vvallengford, Hungerford, Vvidehay, Nevvbury, Reading, Biſtleham, Naidenhead, & Vvindſore. Suntque præterea in huius Comitatus complexu Parochiæ 140. Flumina eam irrigant Iſis, Tameſis, Oke, Cunetio & Lamboru. *Bercheria.* Midleſexia, à Buchinghamienſibus Colno fluuiolo ad Occaſum, ab Hertfordenſibus ab Septemtrionem noto limite; ab Eſſexia ad ortum Lea flu. à Surreia & Cantio ad Auſtrũ Tameſi diſterminatur. *Midleſexia.* Summa cœli temperie & ſoli indulgentia, ædibus & vicis magnificis vbiq; nitida. Opida hic ſunt Vxbridge, Draiton, Stanes, Radeliff, & alia. Verum inter hæc omnia Londinum, totius Britanniæ Epitome: alijs Londinium Longidinium, & Augusta. Sitũ ad Tameſin fluuiũ, agro fertili & cœlo clementi. Diſtat ab Oceano ſexaginta millibus paſſuũ. Pontẽ habet lapideum vltra flumẽ, paſſ. CCC. xxx. vtrimq; magnificis ſplendidiſque ædificijs exornatum. Arcem

Præterea munitissimam, Angliæ totius armamentarium, in qua etiam officina est monetaria. Vicinum Londino est VVestmonasterium, templo foro iudiciario, & Regia longe celeberrimum. Templum Regum Angliæ inauguratione & sepultura insigne est. Atque in hoc agro parœciæ 73. plus minus extra vrbem numerantur. Flumina Lea Cornus, Tamesis.

Southantonia, vulgo Hanshire ab occasu Dorsettiam, & VViltoniam, ab Austro Oceanum, ab Ortu Suffexiam, & Surretam, & a Septemtrione Bercheriam attingit. Ea frugum prouentu ferax, syluarum densitate amœna, & pascuorum fœcunditata læta. Vrbes habet duas quarum altera Southhanton, Altera Vintonia, Anglis winchester. Sunt & opida Ring vvood, Christ Church, VVhorvvel, Andouer, Rumsey, Porsmouth, Gingscleare, Odiam, Silcester, & alia, ac Parœciæ hic 253. habentur. Fluuij Auena, & Sturus, Test & Hamble, Surria Bedæ, suthriora vulgo suthry, & surry, ab occasu partim Bercheriæ & Sonthantoniæ, ab Austro Suffexiæ, ab ortu Cantio contigua, à Septemtrione Tamesi perfunditur & à Midlesexia dirimitur. Regio est non admodum ampla, satis tamen opulenta. Opida sunt Godelminge. Ockley, Effingham, Kingstone, Merrton, Croydon, Beddingdon, vvimbledon, VVandlesvvorth, The Bourrobgh of Soutvvorke. Atque hic Comitatus Parœciais 140. habet Flumina autem sunt VVey Molis, Vandalis & quem dixi Tamesis Cantiū

Southantō.

vulgo

vulgo Kent sequitur, Regio à situ sic dicta. Grandi etenim angulo Galliam prospectat, Tamesi æstuario, & Oceano omni ex parte circumfusa, nisi qua ad occasum, Sureiam conterminam habet, & Southsexiæ partem ad Meridiem. Inæqualis est, ad occasum planior, & syluis vmbrosa, ad ortum surgentibus collibus excelsior. Vrbs primaria est Durouernum, Ptol. Daruernum, Anglis Canterbury, Latinis Cantuaria. Sunt & opida Douer, Hith, Rumney, Sandvvich, Grauesend. Fluuij Tamisis, Darentus, Medvvege & Stoure. Suthsexia hodie Sussex Oceano Britannico tota ad Meridiem longior quam latior recto littore incumbit. Maritimus tractus colles albicantes sublime elatos habet, qui cum ex creta pringui constent, fruges affatim profundunt. Medius tractus pratis, pascuis, aruis, lucis distinctus admodum est spectabilis. Citerior syluarum opacitate amœnissimus. Ferri venis passim fœcunda est. Opida hic Chichester, Arondel & alia. Fluuiolos habet plurimos. De Insula Vvicht descriptione proxima. *Cantium.* *Sussexia.*

Septima & postrema Angliæ pars has quatuor Insulas sub Anglorum Imperio cōprehensas habet: quarum priores duæ videlicet Mona & Vectis ad littus Angliæ, posteriores vero duæ Iarsay & Garnsey iuxta Galliæ littus sitæ sunt. Prima est Mona Britannis etiam Mon, Tirmon, & Ynis Dovvyll, id est, Insula opaca, saxonibus Moneze, tenui freto *Mona. Nomina.*

Menai à Britanniæ continente diuisa, Insula nobilissima, antiqua sedes Druidum, cuius longitudo est plus minus 22. mill. Anglicorũ, latitudo 17. ambitus vero 60. Insula hæc, quamuis, vt inquit Giraldus, arida, saxosa, aspectu inamœna, & deformis, suo tempore videretur; nunc tamen amœna, & culta est, triticique prouentu adeo fœcunda, vt Mater Vvalliæ vulgo appelletur. Lapides etiam habet molares, & alicubi terram aluminosam, è qua alumen, & calchantum conficere non ita pridem cœperunt. Re etiam pecuaria satis est opulenta. Ea autem à Paulino, Suetonio, & Iulio Agricola in Romanum imperium redacta, vt ex Tacito scriptore grauissimo refert Candenus. Multis post hoc sæculis ab Anglis deuicta in eorum nomen concessit, Anglesey quasi Anglorum insula dicta. Hoc etiam addit Camdenus: Romanorum in Britannia iam diuergente imperio, Scotos ex Hibernia in hanc etiam irrepsisse. Nam præter tumulos fossa circundatos, quos Hibernicorum casulas vocant, etiam locus est Ynhericy Gvvidil ab Hibernicis denominatus qui duce Sirigi, Britannos eo loco fuderunt, vt Triadum libro memoratur. Nec ab Anglis solum, verumetiam à Norvuegis grauiter diuexata fuit. Anno enim M. Aethelredi classis totam Insulam circumuecta hostilem in modum deuastauit. Postea Hugones duo Normannici, alter Cestriæ, alter Salopiæ Comes grauissime afflixerunt, castrumque Aber

Anglesey.

Llienioc

Llienioc ad coercendos incolas extruxerunt verum Magnus Norvvegus eo tempore ad hanc appulsus Hugonem illum Cestrensem sagitta transfixit, & insulam deprædatus discessit. Deinceps etiam Angli sæpius adorti sunt donec Edvvardus primus in suam potestatem redegerit. Villas numerauit olim 363. hodieque incolis frequens est. Verum primarium opidum censetur Bellus Mariscus, vulgo Beaumarish, quod in orientali parte Edvvardus primus in loco palustri construxit, & ob situm bello hoc nomine insigniuit, cum prius locus Bonouer diceretur, muroque muniuit. Ab hoc secundum habetur Nevvburge, id est, Nouus Burgus, Britannice Rossur, quod ingestis arenis diu conflictatum. Est hic quoque Aberfravv, Regia olim Vvallorum vrbs. Item sacrum promontorium quod Angli Holy head, incolæ Caer Guby à Kibio viro sancto Hilarij Pictauensis discipulo vocant. Incolæ ditissimi ac validissimi sunt, & Britannica vtuntur lingua Anglicæ penitus imperiti, licet Angliæ regibus per annos 300 cū reliqua Cambria paruerint. Sequitur Vecta siue Vectis Britannis Guith, vulgò the Ylle of Vviht, & Vvigt. Tā modico autem interfluente Euripo Solent olim dicto, à Continente Britanniæ auulsa est, vt cohæsisse videatur, vnde Britannicum illud nomen Guith, quod diuortium denotat (vt Nannius habet) factum videtur: quemadmodum etiam Sicilia, ab Italia abrupta, *Vectis Insula.*

& secta,

& secta, Latino vocabulo à secando, vt eruditissimo Iul. Scal. placet, nomen inuenit. Ex hac situs vicinitate, & nominis affinitate Vectam hanc Ictam esse opinari licet, quæ maris fluxu insula videbatur, at cum refluxisset, exiccato interiecto littore, Britanni prisci curribus eo stannum deuehere solebant, quod in Galliam exportaretur. Mictim tamen esse Plinij, quæ arcta item cognatione Vectam attingit, non iudicarim, cum in ea candidum plumbum proueniret, & in hac nulla sit, quod sciam, metalli vena, inquit Caudenus. Hæc inter Ortum & Occasum lenticulari fine ouali figura viginti mill. pass. longitudine exporrigitur, latitudine vero in media qua maxime patet XII. mill. pass. expanditur, altero latere ad Boream, altero ad Austrum conuerso. Terra est vberi gleba & colono admodum grata, adeo etiam vt fruges exportet, cuniculorum, leporum, perdicum & phasianorum passim ferax: saltum etiam & viuaria duo habet, damis ad venationis voluptatem refertum. Per medium longo tractu procurrunt colles qui ouibus pabula affatim profundunt. Quarum lanæ post vellus Lamsterianum & Cottesvvoldianum optimæ habentur, & inprimis pannarijs expetuntur, vnde maximum surgit incolis lucrum & commodum. Pars Septemtrionalis pratis, pascuis, & syluis viret, Australis frumentarijs quasi tota iacet campis, vbique fossis & sepibus interclusa. In extrema vtrinque parte

Soli qualitas.

Animalium varietas.

lep.

te mare à Boreali plaga ita se insinuat & penetrat, vt duas fere efficiat insulas, & insulæ sane incolis vocantur, scilicet quæ ad Occasum prospicit Freshvvater Yle, quæ ad Ortum Binbrydg Yle. In Romanorum potestatem primus hanc insulam redegit Vespasianus, dum priuatus sub Claudio meruit, quemadmodum de eo scribit Suetonius in Vespasiano. Saxonum vero primus Cerdicius iuris sui fecit, concessitque Stuffæ & Vvhigaro, qui Britannicos incolas ad internecionem sustulerunt, inde Vvolpherus Merciorum Rex Vectam in suam potestatem redegit, & Edelvvacho Australium Saxonum Regi tribuit. Postea Cædvvalla Occidentalium Saxonum Rex Edelvvacho illo occiso, & Aruando insulæ Regulo sublato, suo imperio adiunxit. Sed de his plura vide apud Camdenum. Incolæ natura bellicosissimi & promptæ audaciæ, militesque strenuissimi. Bedæ ætate mille ducentarum familiarum insula censebatnr, nunc triginta sex opida, vicos & castella numerat. Inter Opida celebriora sunt Newport primarium insulæ emporium, olim Medena & Nouus Burgus de Meden, vnde tota regio in Eastmeden & Vvestmeden diuiditur, vt hinc vel Ortum vel Occasum respicit. Brading alterum opidum mercatorium, Newton & Yarmouth quæ suos habēt Maiores, & Burgenses ad Comitia Parlamentaria mittunt Yarmouth hæc & Sharpnore castella habent, quæ cum Vvorsleys propug-

Incolarum virtus.

naculo

naculo littus ad Occasum æstiuum defendunt. Quibus ex opposito vix duorum milliarium interstitio obiacet Hurst lingulæ impositum Hantonensis Comitatus munimentum. Quarre, vbi virginibus velatis monasteriolũ anno 1132. positũ, Gods Hill vbi ad ingenia excolenda Scholã instituit I. Vvorsley. Vvestcovve iam ruinosum, quæ in faucibus Neoportus Henricus VIII. construxit. Et ad Ortũ æstiuum Sandham castrum tormentis maioribus, vt cætera instructũ. Nec naturæ defendentis munimenta desunt, rupibus enim abruptis continua serie præcingitur, subsuntque occulta saxa. Atque hæ duæ insulæ littori Angliæ adiacent. Magis ad Occasum nonnullæ insulæ Gallicæ prætentæ Anglici tamen iuris in alto apparent; inter quas

Gersey. Gerzey & Garnzey, primumque Normanniæ, siue Lexobiorum littori quos Britanni nostri Lettavv, quasi littorales vocant, Cæsarea ab Antonino memorata adiacet, quam Galli nunc ita contraxerunt, vt Cæsaris Burgum in Normannia & Hispani Cæsaraugustam in Hispania, Gerzey enim illi indigitant, vt Cherburg pro Cæsaris Burgo, Saragosam pro Cæsaraugusta dicunt. In hanc olim damnati relegabantur. Prætextatus enim Episcopus Rothomagensis huc relegatus erat, Papiriusque Massonius Insulam littoris Constantini vocat, quod Constantiæ antiquę vrbi obiacet, quæ Ammiano Castra Constantia dici videantur, & superioribus seculis

Moritonium. Insula hæc triginta plus minus mill. pass. ambitu colligit, cautibus, & breuibus (quę vadosa sunt loca nauigantibus insidiosa) defensa. Terra satis fertilis, varijs frugibus & gregibus abundat, oues habet multas & ex ijs plurimas quatuor cornibus conspicuas. Multiplici hortorum viriditate ac pomarijs ridet: vnde vinum è pomis hic conficiunt, quod Siseram incolæ vocunt & Angli Sidre. Cum autem exiguum ignis alimentum ferat, pro lignis alga marina (Vraic vocant) vtuntur. Quæ fucus marinus Plinij esse iudicatur, adeoque copiose scopulis prouenit, vt syluæ condensæ eminus videantur. Hæc sole siccata pro igne est: cuius etiam cinere agros vervactaque lætificant, vberrimosque faciunt. Villis frequens est, parœcijs duodecim exornata, & castro munitissimo Montorguel colli imposito tuta, cui pro Anglis præfectus constitutus qui vniuersæ insulæ præest. Viginti hinc milliaribus ad Occasum æstiuum altera abest insula, quæ Antonino Sarnia, Anglis hodie Garnsey appellata cytharæ quasi forma ab Ortu in Occasum proiecta, Cæsareæ quam dixi, nec magnitudine, nec fœcunditate adæquanda, parœcias enim tantū 10. habet. In hoc tamen præferēda, quod nihil venenosum, vt illa, alat. Naturæ munimentis tutior, vbique prærupta cautium corona quoque redimita, inter quas Smyris lapis durissimus, & asperrimus reperitur (angli Emaril vocāt) quo Gēmarij lapides Garnsey.

expur-

expurgant, ſcinduntque & vitriarij vitrum diffindunt. Hæc etiam Inſula ſicuti prior hortos virides & pomaria varijs arboribus cõſita habet, vnde vino è pomis factitio plerumque vtuntur. Portus autem commoditate mercatorumque commeatu multo eſt celebrior quàm Gerzey. In extrema enim ferè ad ortum parte, ſed auſtrali latere, lunato ſinu portus admittitur, cui adſidet opidum S. Petri, longa platea, & anguſta productum, bellico apparatu plenum & mercatoribus cum bellum ingruit, frequentiſſimum. Portus aditus vtrinque caſtris munitur, ad ſiniſtram vetus eſt caſtellum, ad dextram alterum (Cornett vocant) è regione eminet in rupe ſatis ædita, & mari circumflua. Incolæ vtriuſque inſulæ ſunt origine vel Normannici vel Britones, Galliceque loquuntur. Vtrobique Vraic illa pro ignis eſt fomento, vel foſſiles ex Anglia carbones, & piſcium vtrobique maxima multitudo. Spectarunt olim hæ inſulæ cum alijs circumvicinis ad Normanniã, ſed cũ Henricus primus Robertũ fratrem anno Chriſti 1108. debellaſſet, Normanniam & has inſulas Angliæ regno adiunxit, ex quo tempore Angliæ firma fide adhæſerunt, licet Gallus, proſcripto Ioanne Anglo, Normanniam occupauerit, & Henricus tertius ſuo in Normannia iure pacta pecuniæ ſumma, & Aquitaniæ poſſeſſione, ceſſerit. Garnſeiam tamẽ regnante Edvvardo Quarto Galli occuparunt, ſed opera Richardi Harleſton

Opidum S. Petri.

leston valecti de Corona (vt eo tempore vocarunt) illi exturbati & Rex ipsi in dignitatis præmium insulæ & castri præfecturam detulit. Atque hæc de hisce quatuor Insulis, deque Anglia tam generatim quam speciatim dicta sufficient.

DELICIÆ SCOTIAE,

id est,

Alterius magnæ Britanniæ regni. DESCRIPTIO.



Ritanniæ insulæ Borealior pars Scotia dicitur, olim Albania. Atque etiamnum ab incolis qui auitam seruāt linguam, Albain, & ab Hibernicis Allabany, quasi altera Hibernia (quæ à Bardis Banno dicta est) vocatur. Hiberniam enim Scotiam maiorem, & Scotorum in Britannia regnum Scotiam minorem historici appellant: Ptolemæus Britanniam Paruam, Rufus Secundam, Tacitus à sylua Caledoniam vocat. Videntur autem Scoti sic dicti á vicinis quasi Scythę. Quemadmodum enim Germani inferiores Schythas & Scotos vno nomine Schutten id ęst sagittarios appellāt, sic etiam Britannos vtrosque Yscot dixisse *Scoti vnde dicti.*

è Britannicis scriptoribus obseruatum est. Id sane constat eos à Schytis oriundos ex Hispania in Hiberniam, & inde in hanc partem Albionis, quam nunc tenent peruenisse, & cum Pictis in vnam gentem coaluisse. Hęc de nomine, sequitur situs. Termini eius Australes Angliam versus, sunt Tueda & Solueius fluuij, ad Septemtrionem est Oceanus Deucaledonius, ad Occasum Hibernicus, ad Ortum Germanicus, ab alijs partibus vndique eam ambiunt Oceanus & mare Germanicum. Longa est LXVII. milliaria Germanica, hoc est Anglica 257. lata LII. Germanica, siue 190. Anglica. Regio temperatior quam Gallia, remissioribus frigoribus, caloribusque, sicuti & Anglia: cui tamen in fertilitate æquari non potest. Terra magna ex parte sulphurea est & viscosa, atque ob id pabulum est ignis, præsertim cum ibi defectus sit lignorum. Tantum tamen hic crescit frumenti quantum incolæ absumunt. Profert etiam terra varia metalla. Habet Aurum, Argentum, Argentum viuum, Ferrum, Plumbũ, & Cuprum magna copia. Habet in Drisdalia aurifodinam, in qua etiam Lazurum inuenitur. Habet & gemmas, præsertim Gagatem qui in aquis ardet & oleo extinguitur. Pascua item optima quæ omnis generis nutriunt Armenta: vnde Carnis, Lactis, Butyri, Casei, Lanæ abundat copia. Cæterum Scoti cum ad Pictos in Britanniam accessissent, quamuis Anglos prœliis & prædationibus continenter

Scotiæ fines.

ter

ter lacesserent, non tamen res Scotica statim adoleuit, sed in eo quo appulerunt angulo, diu delituerunt, nec, vt Beda innuit, per annos plus centum viginti septem, contra Nordanhumbrorum regulos signa efferre ausi: donec vno eodemque tempore Pictos ferè ad internecionem deleuissent, & Northumbriæ regnum intestinis malis, Danorumque incursionibus confectum, corruisset. Tunc enim omnis Septemtrionalis Britanniæ plaga in Scotorum nomen concessit, vnà cum citeriori illa regione citra Cluidam, & Edenburg frith. Scoti in bello fortes, ac strenui milites, inediæ, vigiliæ, algoris patientissimi. Primaria Scotiæ vrbs est Edinburgum, vulgo Edenborovv, Ptol. castrum alatum. Sedes hæc Regia, & metropolis non tantum Laudoniæ, sed etiam totius Scotiæ, situ editiore inter montes, eo ipso Pragæ Bohemorum haud absimilis: longitudine ab Oriente in Occidentem mille pass. porrecta, latitudine dimidio minore. Tota vrbs ex monte depēdet. Hic ad occasum altissimus, versus Septētrionē præcipitio munit vrbē, cætera ad Orientē & Meridiē sunt muro circundata; distat à sinu maris & ostijs Forthę passibus mille. Ad Orientalē vrbis partē est Regis Palatiū, quod Cathedrā Arthuri vocāt. Ad Occidētalē, Rupes est prærupta, & in rupe Arx maxima, quæ Scotis vulgo Castellū puellarū dicitur: quod vere est alatum illud castrū Ptolemæi. Sunt aliæ huius regni vrbes & opida insignia

Mores gentis.

quæ suis locis in particulari descriptione adponemus. In vallibus plurimi sunt Lacus, Plaudes, Fontesque & Fluuij piscosissimi, quorum pars maxima è monte Grampio oritur, de quibus in descriptione proxima mentionem faciemus. Mare ipsum Ostreis, Halece, Corallis, Mytilis, Conchisque diuersi generis plenissimum. Multos etiam Scotia passim portus habet & aditus marinis aquis peruios inter quos Letha portus commodissimus. Regio ipsa aspera & montosa admodum est, & in ipsis montibus, habet æquatam agri planitiem pecori pabulum vbertim suppeditantem. Inter montes maximus Grampius qui mediam Scotiam interfecat. Hic vulgo Grasebaim seu Gratzbaine, id est mons incuruus dicitur: is enim à Germanici maris littore ad ostia Deæ fluuij per mediam hanc regionem in Hibernicum mare tendens ad Lacum Lomundum sistitur, qui etiam Pictorum olim, Scotorumque regni limes erat. Ad Aberdoniam montes sunt syluosi. Hic creditur fuisse Sylua Caledonia, Lucio Floro Saltus Caledonius, in immensum spatium diffusa, procerisque arboribus inuia, & Grampio monte diuisa. Scotos autem non postremos inter Europæos fuisse qui Christianam Religionem amplexi sint, eamque præ reliquis seruauerint & coluerint, non solum scripta & monumenta: verumetiam templa, cœnobia, monasteria, xenodochia, & alia religioni deuota loca testantur. Est & Edinburgi Palati-

Grampius mons.

um

um regium de quo ſupra, valde ſuperbum & magnificum, & in medio vrbis capitolium. Habentque Duces, Comites, Barones & Proceres Regni in ipſa vrbe ſua Palatia, quando ad Comitia vocantur. Vrbs ipſa non eſt conſtructa ex coctis, ſed naturalibus & quadris lapidibus, vt etiam ſingulæ ædes magnis Palatijs poſſint comparari. Sed de his ſatis, ad reliquas partes tranſeamus. Populus Scoticus in tres ordines diſpeſcitur, in Eccleſiaſticum, Nobilitatem, & Plebem. Eccleſiaſticus ordo duos habet Archiepiſcopos, S. Andreæ totius Scotiæ Primatem, & Glaſgoenſem. Archiepiſcopo S. Andreæ octo ſubſunt Epiſcopatus, Dunkeldenſis, Aberdonenſis, Morauienſis, Dumblanenſis, Brechinenſis, Roſſenſis, Cathanenſis, & Orcadenſis. Glaſgoenſi tres, Candidæ caſæ, Liſmorienſis, ſiue Argadienſis, Sodoreuſis ſeu Inſularum, videlicet Suræ, Mulæ, Ylæ, &c. Nobilitatis ratio hæc eſt: vt primum locum obtineant Rex filijque Regis, partu legitimo editi, quorum ſi plures ſunt, natu maximus Princeps Scotiæ, reliqui abſolute Principes dicuntur. Rex autem cum publice inauguratur, populo vniuerſo ſancte promittit ſe Leges & maiorum ritus veteraque Inſtituta ſeruaturum, eoque iure quod à Maioribus accepit vſurum. Secundum locum obtinent Duces: Tertinm Comites: Quartum illi Nobiles qui apud alias nationes extra inſulam non vigent, & á Scotis My Lordis appellantur. Quod nomen

Edimburgum.

Epiſcopatus

Nobilitas.

tantam dignitatem in se continet, vt etiam illud Episcopis, Comitibus & summis Magistratibus honoris ergo tribuant. Hosce Magnates posses dicere. Quintum locum Equites Aurati aut Barones sibi vendicant, qui Lordis dici solent. In Sextum & vltimum locum reijciuntur illi, qui nullo certo honoris titulo insigniti, sed nobili familia prognati vulgò Gentilmen appellantur, vt sunt fratres & filij Comitum, Dominorum, Equitum auratorum natu minores: qui in nullam hæreditatis partem succedunt; siquidē ea tota in filium natu maximum conseruandarū familiarum causa iure Scotico deuoluitur. Plebs autem omnes qui diuitijs affluunt, quiq; hospitalitatis & clientelarum nomine bene audiunt, hoc fere titulo (Gentilmē) semper decorat. Ab his autem Nobilibus infimi gradus, totum fere belli pondus pendet. Plebeij vero ciues partim sunt primarij opibus insignes qui magistratu in suis vrbibus funguntur; partim mercatores: partim opifices, qui omnes propter supradictam à vectigalibus alijsque oneribus immunitatem facile apud eos ditescunt. Ne quid autem grauius in aliquam ciuitatem in publicis comitijs struatur, permittitur à Rege tribus aut quatuor ab vnaquaque ciuitate euocatis ciuibus, vt cum reliquis duobus ordinibus suam sententiam de rebus propositis libere interponant. Ecclesiastici olim decretorum & conciliorum authoritate continebantur, nunc autem vt cæteri Legibus

Plebs.

quas

quas Reges descripserunt, aut Regum voce confirmatas, tres ordines fixerunt, reguntur. Liber, qui Leges Municipales Latine scriptas continet, titulum (Regiam Maiestatem) habet, quod ab illis vocibus libri exordium ducatur. Reliquis legum libris Scotica lingua Comitiorum (quæ Parlamenta dicuntur) Acta inscribuntur. Magistratus sunt in Scotia, vt apud alias nationes, complures & diuersi. Inter hos proxime & secundum Regem, Regni Procurator (quem Gubernatorem appellant) facile princeps est. Huic prouincia Regni gubernandi incumbit, si Respublica Rege forte orbetur, aut si Rex per ætatem Regni negotia non possit obire. Est & ibi Senatus perpetuus Edenburgi ex Clero & Nobilitate ita constitutus, vt Laicorum semper numerum æquet pars altera Ecclesiasticorum, Quibus adijcitur ex Ecclesiasticorum numero Præses, qui in dicenda ferendaque sententia principem locum obtinet, nisi iudicio Regni Cancellarius intersit, ei enim in omni Reipublicæ negotio Scoti primas deferũt: Qui capitis iudicio, magnum Iustitiariũ: qui rei nauticæ Admiralium: qui castris figendis, Marescallũ: qui delictis inter aulæ septa vindicandis præficitur, Connestabilem appellant. Sunt quoq; in singulis prouincijs, quas Vicecomitatus appellãt, quibus præsũnt singuli, quos Vicecomites antiquo vocabulo vocant. Horum authoritas in his rebus, quæ ad ciuiles causas & capitis summã pertinent,

Magistratus.

decidendis non aliunde pendet, quam à iure quodam hæreditario, quo etiam illos sibi Vicecomitatus vendicant. Vt ij Vicecomites non à Rege creati, sed à parentibus nati iure quodam dici possint. Habent quoque ciuitates atque oppida suos Præfectos, Balliuos ac id genus alios Magistratus, qui ciues in officio contineant & ipsarum ciuitatum priuilegia tueantur. Ita fit vt Scotorum Respublica ordinum apta dispositione, Legum sancta maiestate, & Magistratuum firma authoritate, floreat & summam laudem mereri videatur. Nomina autem Ducatuum, Comitatuum & Vicecomitatuum Scotiæ hæc sunt. Ducatus Rotsay, Albiniæ. Comitatus, Carnes, Soterlant, Rosse, Morauie, Buchquhan, Garniach, Garmoran, Mar, Mernis, Angus, Gowry, Fiffe, Marche, Athole, Stratherne, Menteith, Leuenox, VVagion, Douglasse, Carrike, Cravvford, Annandale, Ourmonth, & Huntley. Vicecomitatus, Bervvyk alias North Bervvyk, Roxburg, Selkirk, Tvvedele, Dunfrise, Niddisdale, VVigton, Are Lanarke, Dunbretten, Strivueling, Louthean, Laudonia Clakmanan, Kinros, Fiffe, Perth, Angus, Mernis, Aberdone, Bamph, Fores, & Inuernts. Vniuersitates, S. Andreæ, & Aberdonia, quarũ hæc ab Alexandro Rege & sorore Isabella multis ornata est priuilegijs circa annum M. CC. XL. illa sub Iacobo rege inaugurata, Anno M.CCCC.XI. Quibus additur Glasguensis. Ingenia Scotorum viuida sunt, excitata,

Dignitates. Scotiæ.

tata,ignea, sapientiæ capessendæ maxime idonea.

Generatim quæ de Scotia dicenda habui, absolui:postulat Methodus, vt speciatim & per partes eam perambulem. Diuiditur autem Scotia(monte Grampio mediam secante) in Australem siue superiorem, & in Borealem siue inferiorem. Dirimitur vero ab Anglia primum Tueda fluuio, Zeuiota monte altissimo,& qua mons deficit, vallo non adeo pridem facto,ac deinde Esca & Soluæo fluminibus.Citra hos limites à mari Scotico ad Hibernicum regiones hoc ordine iacent. Prima est Marcia vel Merchia,sic dicta quod limitanea,hæc sinistrum Tuedæ latus attingit:ad orientem Forthæ æstuario,ad meridiem Anglia clauditur.In Marcia Beruicum oppidum quod Angli tenent. Est & hic Hume castrum, antiqua possessio Dominorum de Hume qui à comitum Merchiæ familia oriundi,in amplam & insignem familiam sunt propagati. Cui vicinum subsidet Kelso monasterio quondam celebris,& antiqua habitatione Hepburnorum qui Bothvvelliæ Comites,& hæreditario iure Admirallij Scotiæ diu fuerunt,qui honores per sororem Iacobi Comitis Ioanni filio naturali Regis Iacobi enuptam, ad Franciscum eius filium nunc Bothuelliæ Comitem descenderunt. Inde Coldingham cernitur, Bedæ Vrbs Coldana & Coludi vrbs,Ptolemæo fortasse Colania. Ad Occidentem Marciæ ad vtrumque Tue-

Fines Scotiæ.

dæ latus est Teuiotia, à Teuioto amne nomen *Teuiotia.* adepta. Teuiota monte dirimitur ab Anglia. Post hunc regiones non magnæ Lidalia, Euia & Escia à tribus fluminibus cognati nominis Lidalo, Euo & Esca nominatæ. Vltima Annandia, & ipsa ab Annando amne prope mediam diuidente appellata, secundum Soluæum in mare Hibernicum decurrit. Iam rursus ad Fortham redeamus. is ab ortu Lothianam claudit: Cocburni Saltus, & Lamyrij montes eam à Marcia separant. Contingit deinde paullum ad occasum inflexa Lauderiam & Tuediam: alteram à Laudero oppido, alteram ab amne Tueda mediam secante. Tuediam ad meridiem, & occidentem contingunt Lidalia, Nithia, Glottiana. Nithiæ Nithus amnis nomen dedit per eam in mare Hibernicum labens. Lothiana à Lotho Picto- *Lothiana.* rum rege nominata. Ab oriente æstiuo finitur Fortha siue mari Scotico. Vallem Glottianam spectat ab occidente hiberno. Hæc regio humanitatis cultu, & rerum necessariarum ad vsum vitæ copia cæteras longe præcellit. Quinque amnibus irrigatur, Tina, vtroque Esca, (qui antequam in mare cauent in vnum alueum coeunt) Letha & Almone. Hi partim è Lamyrijs, partem Pictlandicis montibus in Fortham defluunt. Opida habet Dombarum, Hadinam vulgo Hadintonam, Dalkethum, Edinburgum, Letam, Limnuchum. Magis ad occidentem iacet Glottiana, vtrámque Glottæ fluminis ripam complexa,

plexa, quæ ob longitudinem in duas præfecturas diuiditur. In superiore præfectura collis est non admodum editus, à quo in tria diuersa maria flumina effunduntur. Tueda in mare Scoticum, Annandus in Hibernicum, in Deucaledonium Glotta. In ea vrbes insigniores sunt Lanarcum, & Glascua. Hanc ab occidente hiberno Coila contingit. Vltra Coilam est Gallouidia. Ea separatur à Nithia Cludano amne, tota fere in meridiem vergens, ac ab littore eius reliquum illud Scotiç latus tegitur. Vniuersa pecoris, quam frumenti fertilior. Amnes habet plures in Hibernicum mare decurrentes, Vrum, Deuam, Kennum, Cream & Luflum. Nusquam fere in montes attollitur, sed collibus tantum frequentibus intumescit. In conualtibus inter eos aqua restagnans innumeros prope lacus efficit, è quibus primis ante æquinoctium autumnale imbribus riui augentur, vnde multitudo incredibilis anguillarum descendit, quas accolæ nassis vimineis exceptas sale condiunt, ac non modicum inde quæstum faciunt. In hac prouincia lacus est Myrtous dictus, cuius vna pars aliarum aquarum more gelu hyeme concrescit; altera nullis frigoribus cōgelari potest. Extremū lateris est Nouātū promōtoriū, sub quo in ostio Lussi fluminis Sinus est qui Ptolemæo Rerigonius vocatur. Ei ex aduerso influit ex æstuario Glottæ Sinus vulgo Lacus Rianus, Ptolemęo vidogara. Quod inter hos sinus terræ procurrit incolæ Rinum,

Gallouidia.

Rinum, id eſt Gallouidiæ aciem appellant. Ab eiſdem Nouantum mula, id eſt, roſtrum ſiue rictus nominatur. Tota autem regio Gallouidia (nam Gallouid priſcorum Scotorum lingua Gallum ſignificat) nominatur. Infra Vidogaram à tergo Gallouidiæ leuiter declinat ad Glottæ æſtuarium Carićta. Eam duo amnes interſecant, Stinſiarius & Greuanus: vterque multis amœnis villis cingitur. Inter amnes qua in modicos colles tumet paſcuis fœcunda, nec infelix frumento eſt. Tota terreſtribus maritimiſque copijs non modo ſibi ſufficiens, ſed vicinis multa ſuppeditans. Dunus amnis eam à Coila ſeparat, ortus ex eiuſdem nominis lacu, qui inſulam complectitur modicæ arcis capacem. Sunt in Carićta regione ingentis magnitudinis boues, quorum caro tenera ſuauiſque eſu eſt; pinguedo liquefacta ſemel nunquam concreſcit, ſed olei inſtar ſemper fluitat. Sequitur Coila, quã à meridie Gallouia claudit, ab ortu æſtiuo Glottianam attingit ab Occaſu Iruino fluuio à Cunigamia diſtinguitur: mediam Aera amnis diuidit. Ad eum ſita eſt Aera emporium non ignobile. In vniuerſum regio eſt feracior virorum fortium, quam frugum aut pecorum, tota quidem tenui & arenoſo ſolo: quæ res hominum induſtriam acuit, & parſimonia vires animi & corporis confirmat. In hac prouincia haud plus decem millibus paſſuum ab Aer oppido, ſaxum eſt duodecim vix pedes altum, xxx. cubitorum non amplius

Carićta.

Coila.

ſpiſſitu-

ſpiſſitudine; haud immerito ſurdum appellatum. Nam ſi ingentem ſonitum vel voce edas, vel ſclopo, vel quouis crepitaculo; is qui ex aduerſa parte erit ſaxo proximus, nihil audiet, qui remotior melius, qui remotiſſimus optime. Cunigamia poſt hanc ad Septemtriones procurrit, & Glottam ſubmouet ac prope ad iuſti amnis modum coercet. Nomen huic Regioni Danicum eſſe conſtat, quod eorum lingua regis domicilium ſignificat: quæ res indicio eſt, eam Danos aliquando tenuiſſe. Proxima ad orientalem eius plagam ſita eſt Renfroana, ab opidulo in quo conuentus eius celebrari ſolent, appellata, vulgo Baronia dicitur. Mediam eam ſecant 2. amnes quibus vtriſque Carthus eſt nomen. Poſt Baroniam eſt Glottia ad vtramque Glottæ ripam protenſa, & ipſa in plures iuriſdictiones ob magnitudinem diuiſa. Amnes nobiliores fungit: à læua Auennum, & Duglaſſum, qui in Glottam decurrunt: item à dextra alterum Auennum, qui Lothianam ab agro Sterlinenſi diuidit. Hi duo fluuij communem omnium appellationem loco proprij nominis acceperunt: quemadmodum in Vallia diuerſa dialecto is, quem Auonam vocant. Sterlinenſem agrum à meridie ſeparat à Lothiana Auennus, ab ortu æſtuarium Forthæ, donec paulatim ſeipſo minor ad iuſtam fluminis magnitudinem redactus prope Sterlinum pontem patitur. Secat regionem fluuius vnus, qui memoratu ſit dignus, Carron: iuxta

Cunigam.

Renfroana.

Glottia.

iuxta quem aliquot vetusta sunt monumenta. A d læuam Carrontis duo terreni sunt tumuli hominum opera(vt res indicat)ædificati:vulgo Duni pacis appellantur. A dextro Carrontis latere ager fere cetera planus in collem paullum prominet, medio fere spatio inter Dunos pacis,& ædiculam :in eo ad ipsum anguli flexum modicæ vrbis vestigium adhuc apparet. Sed murorum fundamēta, & vicorum descriptio partim cultu rustico, partim eruendis ad propinquas ditionum villas construendas lapidibus quadratis confusa est. Hunc locum diserte Beda Anglus Guidi vocat ; atque in ipso valli Seueri angulo collocat. Multi præclari scriptores Romani eius valli meminerunt, multa vestigia exstant , multi lapides inscripti erruuntur, quibus aut testimonium salutis per Tribunos & Cēturiones acceptæ aut sepulchrorum inscriptiones continentur. Vltra Sterlinensem agrum est Leuinia, à Renfroana præfectura Glotta , à Glascuensi Keluino amne diuisa, ab agro Sterlinensi mōtibus, à Taichia Fortha dirimitur: tandem in montem Grampium desinit, ad cuius radices per vallem cauam Lomundus lacus se explicat 24. millia pass. longus, 8. latus, supra 24. insulas complectitur. Præter multitudinem aliorū piscium habet & sui generis esu nō insuaues, Pollacos vocant. Tria autē de hoc lacu memoratu digna referuntur. Pisces pinnis carent, gratissimi alias saporis. A quæ nullo interdum flante vento

Leuinia.

vêto ita cõcitantur, vt vel audacissimos nautas deterreant, quiminus soluant. Denique insula quędã gregibus armentisque pascendis apta, natat, ferturque quo ventis impellitur. Sed redeo ad lacũ. Tandẽ erumpens meridiẽ vorsus Leuinum amnẽ, qui regioni nomen dedit, effundit: qui prope Britannodunũ arcem, & eodem nomine opidum in Glottã ingreditur. Leuiniæ partem extremã Grampij montis vltimi colles attollunt, sinu maris exiguo, quem Gerlochum à breuitate appellant, intercisi. Vltra hunc est est sinus multo amplior, quem Longum vocant, à Longo qui in eum cadit fluuio. Is limes est inter Leuiniã & Coualiam. Ipsa Coualia, Argathelia seu potius Ergahelia, & Cnapdalia multis finibus angustis ex æstuario Glottæ iufusis, in multas partes dirimuntur. Vnus inter cætera insignis lacus Finis vocatur à Fino fluuio, quẽ recipit. Is vltra sexaginta millia passuũ in lõgitudinem porrigitur. Est & in Cnapdalia lacus Anus, in quo est exigua insula & arx munita. Ex eo fluuius Anus effunditur, qui vnus in illis regionibus in mare Deucaledonium exit. Vltra Cnapdaliam ad occidentem hibernum excurrit Cantiera, hoc est regionis caput, Hiberniæ occurrẽs, à quo modico freto dirimitur, ipsa longior quam latior, adeo arctis faucibus Cnapdaliæ coniungitur, vt vix mille passus expleat, idque spaciumnihil aliud quam arena sit: adeo humilis vt per eã nauiculis traductis nautæ plerũq; nauigãdi *Coualiã.*

com

compendium quærant. Hanc attingit Lorna Argatheliç adiacens & vsque ad Abriam pertinens: regio plana nec infœcunda. Qua Grāpius mons humilior est, & magis peruius, Braid Albin regio vocatur, hoc est, quasi altissimam Scotiæ partem dicas, ac vbi maxima pars illa attollitur Drnm Albin, hoc est, Scotiæ dorsum vocatur: nec omnino sine causa. Ex eo euim dorso flumina in vtrumque mare decurrunt, alia in Septemtrionem, alia in Meridiem. Ex Ierno enim lacu Iernam fluuium in Orientem Hibernum fundit: qui in Taum illabitur ad tria millia passuum infra Perthum. Ab hoc flumine cognomen accepit ad vtramque ripam affusa vetere Scotorum lingua Strathierna dicta. Strat enim regionem ad fluminum decursum iacentem appellare solent.

Lorna.

Ocelli montes.

Taichiam excipiunt Ocelli montes; ipsi quidem magna ex parte, atque ager eorum & radices in Iernensi præfectura censentur. Verum reliquum agri ad Fortham vsque ambitio in varias præfecturas dissecuit, Clacmananam, Colrossianam & Kinrossianam. Ab his & Ocellis montibus quicquid agri à lateribus Forta & Taus claudunt, in orientem anguste cuneatur ad mare. Et vno nomine appellatur Fifa, omnibus rebus ad vsum vitæ necessarijs sibi sufficiens: qua lacus Leuinus eam scindit, latissima: inde vtrinque se colligens in angustum vsque ad Caraliam opidū. Amnem vnum qui memoratu sit dignus Le-

Fifa.

dia

uinum fundit. Totum littus frequentibus oppidulis præcingitur : è quibus maxime est memorabile propter bonarum artium studia Fanum Andreæ, quod prisci Scoti Fanum Reguli appellant. Interius in media fere regione est Cuprum, quo reliqui Fifani ad ius accipiendum conueniunt. Qua Ierniam contingit, est Abrenethium vetus Pictorum regia. Hic in Taum influit Ierna. Ipse autē Taus â lacu Tao, qui est in Braid Albin viginti quatuor millia longo erumpit, fluuiorum Scotiæ facile maximus. Is se ad Grampium montem inflectens, Atholiam attingit regionem fertilem in ipsis Grampij saltibus collocatam. *Atholia.* Infra Atholiam ad dexteram Tai ripam sita est Caledonia opidum, vetus tantum nomen retinens, vulgo Duncaldem, id est, tumulus corilis consitus. Corilus enim cum per inculta se latissime funderet, & siluarum opacitate agros tegeret, & opido & genti nomē dabat. Caledones enim, aut Caledonij gens olim inter Britannorum clarissimas alteram partem regni Pictorum faciebant: quos Ammianus Marcellinus in Caledones & Vecturiones diuidit, quorum nunc vix nominis vestigium aliquod superest. Infra Caledoniam *Perthum.* ad duodecim millia passuum in eadem dextra ripa est Perthum. Ad sinistram ripam sub Atholia ad orientem spectans est Gorea frumentarijs campis nobilis. Et sub hac iterum inter Taum, & Escam porrecta Angusia, siue vt prisci Scoti loquuntur Aeneia. Sunt qui

Horestiam, vt iuxta dialectum Anglorum, Forestiã, dictam putant. In ea sunt vrbes Cuprum, & quod Boethius patriæ suæ gratulans ambitiose Dei donum vocat. Vetus enim nomen Taodunum fuisse reor, à Duno, id est, colle ad Taum sito, sub cius radicibus opidum est exstructũ. Extra Taum ad XIIII. millia passuum recto litore occurit Abrenethea, alio nomine Obrinca. Deinde Rubrum promontorium satis longe conspicuũ. Esca fluuius cognomento Australis mediam secat: alter Esca Septentrionales à Mernia diuidit.

Mernia. Ea ex magna parte solo est campestri, & plano, donec vltra Fortunum & Dunotrum Comitis Martialis arcem occurrit Grampius paulatim se demittens, & in mare subsidens. Vltra eam ad septentriones est Deuæ, vulgo Deæ fluminis ostium: & plus minus mille passus vlterius Dona. Ad alterum Abredonia est salmonum piscatu nobilis, ad alterum Episcopi sedes, & scholæ publicæ omnium ingenuarum artium studijs florentes. Hanc citeriorem inuenio vetustis monumentis Abredeam appellatam. Nunc vtrunque opidum Abredonia Veteris & Nouæ cognominibus distinctum vocatur. Ab hac tam angusta fronte inter hæc flumina incipit Marria, ac sese paulatim dilatans ad LX.

Marria. in longitudinem se protendit Badenacham vsque. Ea regio perpetuo dorso continetur & in vtrunque mare diuersa magnaque flumina euergit. Badenachæ confinis est Abria,

ad Mare

ad Mare Deucaledonium modice prona, regio, vt inter Scotos, in primis copiosa maritimis & terrestribus commodis: est enim & frumentis & pascuis imprimis fœlix, & præterea nemorum vmbris, & riuulorum fontiumque amœnitate iucunda. Piscium vero prouentu adeo fertilis, vt nulli prope Scotiæ regioni cedat. Nam præter fluuiatilium copiam quam tot riui sufficiunt, mare longo canali per planum solum infusum penetrat: ibiq; terræ paulo altiore margine coercitum se latius diffundit, ac speciem stagni, aut verius lacus præbet: vnde Abriam, id est, stationem patrio sermone appellant. Item quoque nomen regioni circum circa vicinæ dant. Ad plagam Septemtrionalem proxima Marriæ est Buchania, Dona fluuio ab ea diuisa. Ea omnium Scotiæ regionum longissime se in mare Germanicum exporrigit. Pascuis ouiumque prouentu admodum fœlix, cæterisque commodis ad vitam necessarijs sibi sufficiens. Fluuij eius cum Salmonibus abundent, Ratram amnem tamen id genus piscis non ingreditur. Est in eius littore spelunca, cuius natura prætereunda non videtur, Aqua è naturali fornice guttatim destillans statim in lapidum pyramidas vertitur, ac nisi opera hominum antrũ subinde purgaretur, spatium vsque ad fornicẽ breui cõpleretur. Vltra Buchaniã, ad Septemtriones sunt regiunculæ, Boina & Ainia, quæ vsq; ad Spæam fluuium pertinent, qui separat eas à Moravia ori

Abria.

Buchania.

uia. Oritur autem Spey à dorso Badenachę, cuius meminimus: & nō longe ab eius fonte lacus est, vnde erūpit Lutea, ac se in occiduū mare deuoluit. Ad ostium eius ferunt opidum nobile fuisse, à fluuio Ennerluteam nuncupatum. Certe siue terræ vicinæ spectes ingenium, siue nauigationis & subuectionis maritimæ commoditatem, locus est admodum emporio aptus. Prisci quoque Reges has oportunitates secuti aliquot sæculis ibi habitauerunt in Euonia arce, quam nunc multis falso persuasum est esse Stephanodunum. Eius enim arcis rudera, & vestigium adhuc in Lorna monstratur. Vltra Spæam vsque ad Nessum sequitur Morauia, olim (vt creditur) Varar dicta. Inter eos amnes Oceanus Germanicus, velut retro in Occidentem terram agens, sinu vasto eius laxitatem castigat. Tota quanta est hæc regio frugibus & pascuis fœcunda, amœnitate vero, & fructiferarum arborum prouentu totius regni facile prima. Duo memoratu digna habet opida, Elginam ad Loxiam amnem, qui nomen antiquū adhuc retinet, & Nessum ad cognominem fluuium. Nessus à Lacu Nesso longo viginti quatuor millia effluit. Aqua fere semper tepida, nec vnquam ita frigida vt congelet. Quin & asperrima hyeme fragmina glaciei in eum inuecta, tepore aquarum breui soluuntur. Vltra Nessum Lacum Occidentem versus octo millia continentis terræ protenduntur. Tantillum sane est, quod obstat, quo minus

Morauia.

minus maria coeant, & quod reliquum est Scotiæ, insulam reddant. Nam quod spacij ab ijs faucibus ad mare Deucaledonium interijcitur, fere finibus maris in terram irrũpentis est intercisum. Quod vltra Nessum, & fauces illas angustas est interiectum, in quatuor prouincias solet diuidi, Nauerniam, seu vt vulgo, Stranauerniam, à fluuio Nauerno dictam. Vltra ostium Nessi, qua mari Germanico immergitur est Rossia, in mare promõtorijs altioribus excurrens, quod & nomen ipsum indicat. Ros enim Scotis promontorium significat. Ea tota longior est quam latior. Nam à mari Germanico ad Deucaledonium porrigitur, qua in montes attollitur aspera, & inculta: qua se in campos explicat, frugũ fertilitate nulli prope Scotiæ agro inferior. Valles habet amœnas piscosis amnibus irriguas: Lacus piscosos complures, sed maximum omnium Lubrum. A mari Deucaledonio littus paulatim se castigat, & in orientẽ æstiuum reflectit. Ab altero littore mare Germanicum inter rupium excelsarum scopulos iter sibi pandens interius in sinum se spatiosum, explicat, aduersus omnes tempestates portum salutiferum, ac certum perfugium. *Rossia.*
Proxima Rossiæ extremæ septemtrionem versus est Nauernia, à Nauerno amne appellata: quam vulgo proprietatem sermones patrij secuti Stranauerniam appellant. Eam à meridie Rossia claudit, ab occasu & Septemtrione mare Deucaledonium eam alluit, ab *Nauernia.*

orienteCathanesiam contingit. Sutherlan- *Suterlandia.* dia his omnibus ita interiecta est, vt omnibus sit finitima atque ab aliqua regione cœli eas cõtingat. Nam ab occidente Stranauerniam, à meridie & oriente Rossiã, à Septemtrione Cathanesiã habet obiectã. Cultores magis ex natura regionis pascuo quã aruo dediti. Nihil in ea memorabile nisi quod montes candidi marmoris habet, rarũ in regionibus frigidis miraculum, & prope in nullos vsus comparatum, quod nondum eius affectatrix luxuria eo immigrarit. Cathanesia vltima ad Septemtrionem Scotiæ regio est, qua in plaga ei Nauernia occurrit, hæque regiones Scotiæ latitudinem in frontem angustam contrahunt. In ea fronte tria attolluntur promontoria. Altissimum in Nauernia, quod Ptolemæo est Orcas, siue Taruedrum & Taruisium: reliqua duo nequaquam æque sublimia in Cathanesia sunt, Veruedrum, nunc Hoia, & Betubium, falso Hectori Boethio Dume appellatum, nunc Dunis Bei vulgo dicitur, alij Duncans Bei vocant. Ex hoc nomine aliquot literis exemptis vox Dunis Bei facta vi- *Cornania.* detur. In hoc tractu Ptolemæus collocat Cornauios, cuius nominis adhuc vestigia quædam restant. Arcem enim Comitum Cathanesiæ vulgo Gernico vocant. Nam qui Ptolemæo, & exteris Cornauij sunt, Britannis Kernici fuisse videntur. Nam cum non in hoc tractu modo, sed in diuersissima insulæ parte, nempe in Cornouallia Cornauios ponat,

eosdem

eosdem, qui vetustum sermonem Britannicum retinent, adhuc Kernicos vocant. Restat nunc vt de insulis aliquid dicamus. Recentiores insularum omnium, quæ Scotiam velut coronant tres fecerunt vel classes vel ordines. Occidentales, Orcadas, & Zelandicas. Occidentales appellantur quæ ab Hibernia pæne ad Orcades in mari Deucaledonia lateri Occidentali protenduntur. Has alij Hebrides, alij Mæuanias, alij Beteoricas appellarunt. Orcades in mari partim Deucaledonio, partim Germanico, ad Septemtrionalem Scotiæ partem sparsæ sunt. Harum de nomine inter Scriptores veteres & recẽtiores satis conuenit, sed qui eas primi tenuerint, non satis constat. Omnes Germanicæ originis eos fuisse tradunt: at è qua natione Germanorum aduenerint, id non proditur. Si è sermone coniecturam faciemus, & olim & nunc quoque vetere Gothica lingua vtuntur. Sunt qui Pictos eos fuisse arbitrantur, hoc maxime argumento, quod fretum eos à Cathanesia diuidens, Picticũ cognominatur: Pictosque ipsos generis Saxonici fuisse existimãt, Claudiani carmine maxime freti:

Maduerunt Saxone fuso
Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule:
Scotorum tumulos fleuit glacialis Ierne.

Sed quum de his infra in Britannicarũ insularũ descriptione acturi simus, hæc paucula sufficient, vt Scotiæ finem imponamus.

Hibernia Insula sequitur, Orpheo, Ari-

ſtoteli & Claudiano Ierna, Iuuenali & Melæ Iuuerna, Diodoro Siculo Iris, Euſtachio Vernia & Bernia, incolis Erin, Britannis Yuerdhon, Anglis Ireland. Vnde hæc profluxerint nomina variæ vt in re obſcura ſubinde enatæ ſunt opiniones. Hiberniam alij ab

Hibernia vnde dicta. Hibero Duce Hiſpano, qui primus magna hominũ coacta multitudine, eã occupauit dictã volũt; ab Ibero fluuio alij, quod illius accolę primi inſulam habitauerint; alij ab hiberno tempore, quia ad Occidentem vergit, Eulogij author ab Irnalpho Duce. Hibernia & Iuuerna, proculdubio ab Orphei & Ariſtotelis Ierua dimanarunt, Ierua autem illa, Iris Iuerdhon, & Ireland, ab incolarum Erin. Ab Erin ergo gentis vocabulo etymon petendum. Hic Camdenus quid opinione augurari poſſit ſe habere negat: niſi forſan, inquit, ſit ab Hiere Hibernica voce illis occaſum, ſiue plagam Occidentalem ſonante, vnde Erin quaſi Occidentalis Regio deducta videatur. Prortenditur hæc Inſula ab Auſtro in Aquilonem, forma lenticulari, ſiue ouali, nõ viginti dierum nauigatione, vt Philæmon apud Ptolemæum tradidit, ſed CCCC. tantum mill. paſſ. Latitudine vix CC. implet. Ab Ortu habet Britanniam, à qua Mari Hibernico & vnius tantum diei nauigatione diſcluditur. Ab Occidente vaſtum Oceanum. A Septemtrione, qua Oceanus Deucaledonius, quem Ptolemæus vocat Hyperborcum, irrumpit, habet Islandiam: ab Auſtro reſpicit

Hiſpan... Hiſpaniam. Aer huius Inſulæ eſt ſaluberrimus,

mus,cœlum mite,clemens, blandum. nam neque æstiuo calore incolæ ad vmbras & loca opaca impelluntur:neque frigore ad focos;semina tamen ob Autumni humiditatem rarius maturescunt.Hinc Mela scribit, cœlum ad maturanda semina iniquum habere. Salubritate tamẽ & serenitate aeris multum Britanniæ præstat. Terræmotus hic numquam,vix semel in anno tonitru audies.Regio gleba præpingui,vberique frugum proventu felix est:pascuis tamen quam frugibus,gramine quam grano fœcundior.Tritici namque grana sunt hic contracta & minuta,& vix alicuius vanni beneficio purganda. Quod ver gignit,æstas nutrit, vix in messe pluuialis aquositas colligi permittit. Aeolicis namque flatibus,& pluuialibus inundationibus præ alijs terris hæc exuberat. Verum(vt inquit Mela) adeo luxuriosa herbis non lætis modo,sed etiam dulcibus, vt si exigua diei parte pecora se impleant, & nisi pabulo prohibeãtur,diutius pasta dissiliant. Quod etiam Solinus de hac Insula testatur. Hinc pecorum infinita multitudo,primæ & præcipuæ Incolarum opes,ouium etiam greges plurimi, quas quotannis bis tondent. Equi item optimi(Hobies vocantur) quibus non idem qui cæteris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio.Nullum ibi reptile degit,nullus serpens, priuilegio cum Creta communi :sæpe etiam illuc de Britannia allati serpentes, mox vt

Hiberniæ fertilitas.

proximantes terris odorem aeris illius attraxerunt, intereunt. Beda testis est, vidisse se, quibusdam à serpente percussis rasa folia codicum ex Hibernia asportatorum propinata esse, & continuo totam vim grassantis veneni, tumoremque inflati corporis recessisse. Falcones præterea, accipitres & nisos, præ alijs regionibus copiose producit. Aquilarum quoque non minor hic copia, quā alibi miluorum. Tanta vero multitudine se grues ingerūt, vt vno in grege cētū frequenter reperias. In Boreali plaga Cygni etiam abundant, Ciconiæ vero per vniuersam Insulam rarissimæ sunt, & illæ nigrę: Perdices, Phasiani, Picæ & Philomelæ deesse dicuntur. Apum tanta multitudo, vt non solum in aluearijs, sed etiam in arborū truncis & terræ cauernis reperiantur. Scribit etiam Giraldus de auibus præ cæteris hoc memorabile, è lignis quibusdam in mari temere natantibus, gummi primum effluere: hoc gummi postea in crustā indurescere, intus nasci animalcula, quæ primū vitā, postea rostra, pennas, alas concipiant, quousque vel in aere volitent, vel aquis innatent, neque aliter generari hoc animal. Syluester Giraldus quem dixi, testatur se istiusmodi aues permultas vidisse semiformatas, rostro ex testulis pendentes, quæ si perfectę fuissēt, reliquarum more volitassent. Sunt & aues, eodē teste, biformis naturę, quas Aurifrisios vocant, plurimæ, aquila quidem minores, accipitre

Anseres marini.

pitre

pitre maiores, quibus alterum pedem vnguibus armatum, apertum & rapacem, alterum vero clausum & pacificum, solique natatui idoneum, naturæ ludentis opera contulit admiranda. Sunt & aliæ quas Martinetas vocant, merula minores, in modum coturnicum curtæ, sed albo ventre nigroque dorso degenerant. Mirum de his auiculis, quia si mortuæ in loco sicco seruentur, putrescere nesciunt: & inter vestes aliasue res locatæ, eas indemnes à tinea conseruant. Et quod longe stupore dignius est, mortuæ quoque in sicco suspensa, rediuiua plumarum renouatione singulis annis immutantur. Ferarum quoque omnia fere genera continet. Habet enim Ceruos, qui præ nimia pinguedine parum ad cursum apti sunt: & quanto minores sunt corporum quantitate, tanto præcellentius efferuntur cornuum dignitate. Aprorum magna copia est, Sunt & Lepores multi. Sed omnium animalium ferarum & auium corpora, hic quam alibi minora. Est & Taxus, Mustela. Sed caret Capris, Damis, & Ericijs. Talpæ nullæ vel rarissimæ: sed Mures infiniti. Lupum item, & Vulpem habet. Sed de his satis, ad alia transeo. Hibernia quondam multos Regulos habuit, nunc autem sub Anglorum regimine & per Proregem quem Dominũ deputatum vocãt, administratur Hibernia vero sub dominio Regis Anglorum incidit circiter annum 1175. quo Rodericus Connaciæ Rex, se Regem vniuersæ Hiberniæ nominauit, qui cum totam

Feræ.

insulam subiugare contenderet, bellum continuum cum cæteris Regulis gerebat, ex cuius quidem seditione factum est, vt alij Reguli se sponte, ac sine vlla sanguinis effusione Anglorum Regi Henrico secundo dederint: & inde omnes Hiberniæ Domini dicti sunt vsque ad Henricum octauum, qui Rex Hiberniæ ab insulæ Ordinibus & Proceribus declaratus fuit, quia quibusdam seditiosis Domini nomen erat inuisum. Quatuor in

Vrbes. hac ciuitates præcipuæ, Dublinia totius Hiberniæ Metropolis, Sedes Regia & Archiepiscopalis, Comitatusque titulo exornata, Secundas partes tenet VVaterfortia, tertias Limmiricum, quartas Corcagia. Sunt & alia ibi oppida ac municipia satis magna, de quibus in particularibus descriptionibus alij fusius. Lacus quoq; plurimos hæc terra habet, inter quos lacus est in Hultonia ab Erno lacu xv. mill. distans, de quo alij fusius. Super Armacum vrbem stagnum est haud amplum, in quod si hastam defixam aliquot méses relinquas, pars ea quæ luto inhęsit ferrea, quæ aquæ immersa saxea, exstans lignea futura sit. Est & Erno lacus, qui xxx. mill. pass.

Ernolacus. in longitudine, xv. in latitudine diffunditur, syluis opacis coronatus, & adeo piscosus, vt piscatores nimiam frequentius piscium copiam, retiumque rupturas potius quam defectus conquerantur. Fluminibus item egregijs scinditur & rigatur insula: quorum nomina hæc sunt: Aueulisius, Dubel perfluens, Boandus,

Boandus, per Mediam, Banna per Vltoniam: per Connaciam, Linnus, & Moadus, per Kenelcunilliam, Slicheiam, & Samairam: Modarus vero & Furnus per Keneleouiam, & alia plurima. Inter omnia vero flumina Hiberniæ nō immerito principatū Synneus obtinet, tam quantitatis suæ maiestate longisque terrarum excursibus, quam fœcundissima piscositate. Cæterum flumina & Lacus suis sibi innatis fœcunda sunt piscibus. Terra inæqualis est & montosa, mollis & aquosa. In summis montium verticibus stagna reperies & plaudes. Pecore montes, nemora feris abundant. De mari quod Hiberniam & Britanniam interluit sic scribit Solinns: Mare quod inter Hiberniam & Britanniam interluit, vndosum & inquietum toto in anno, nonnisi æstiuis pauculis diebus est nauigabile. Sed errat. Satis enim tranquillum est, nisi ventorum vi agitetur. Et non solum æstate, sed etiam summa hyeme, vectores vltro citroque nanigant. Marinis autem piscibus per omnia latera maritima, satis abundat. Habet Hibernia in vniuersum Comites triginta tres. Archiepiscopos quatuor: Armachiensem totius Hiberniæ Primatem: Dublinensem Hiberniæ Primatem: Cassiliensem, & Toamensem. Et hi quatuor viginti nouem suffraganeos habent. Hibernia ex incolarum moribus in duas partes distribuitur. Qui enim legibus teneri recusant & incultius viuunt, Irishire, & vulgo VVild Irish, id est, sylue-

Fluuij.

Comites.

ſylueſtres Hibernici vocantur. Qui vero Legum poteſtatem ſanctam habent, & iudicijs ſe ſiſtunt, Anglo Hibernici dicuntur, & eorum regio The English Pale: Anglice, naturaliter incorrupte loquuntur; Hibernice tamen norunt, propter quotidiana commercia. Hibernici primarios quoſdam Tyrannos habent, quorum imperio plures tenentur: ſub Anglico iure & imperio, niſi ſimulare & quamdiu Angli milites eorum territoria depopulantur, non viuunt. Iudicia tamen propter deprædationes frequẽtes, & furta nocturna certis temporibus & locis conſtituunt. Illic reorum qui accuſantur, proprium eſt: Nego. Si conuincantur, ad litem ęſtimandum quoſdam arbitros, quos illi Brehonios appellant, adhibent. Iſti ſunt ex vna familia proſeminati, qui quamuis intelligentiam iuris non habeant, vulgo tamen propter arcanam quamdam ſcientiam à maioribus acceptam, quaſi diuini habentur. Militia eorum partim equeſtris, partim pedeſtris eſt. Equites habent equos valde tractabiles, quos ſine vllis adminiculis, etiam loricati inſiliunt. Haſtas bene ponderoſas circa medium manibus præhenſas ſupra capita in hoſtem vibrãt. Inter pedites quidam ſunt ſagati milites valde robuſti, quos Galegalacios vocant, & tela pedalia ſecuribus ſimilia, eaque gemina, cultris tonſorijs acutiora longiuſculis haſtilibus affixa gerunt, & totius Hibernici belli fundamentum ac robur ſunt. Secundum locum

Iudicia.

Militia.

cum obtinent Pedites leuis armaturæ machærophori, qui Karni dicuntur, & neminē occisum putant nisi capite truncatum. Tertio loco sunt cursores, quos Daltinos vocant, qui inermes incedunt & ministros se præbent equitibus. Totus autem tam equitatus quam peditatus, quoties ad manus venitur magna voce Pharro Pharro inclamat: & tibia vtriculari loco tubæ vtitur. Cænitant Hibernici magnifice & opipare. Nam licet delicatis artolaganis minime abundent, nec etiam vlla vrbana in epulis lautitia adhibeatur, mensas tamen habent, boue, porco, & alijs cibarijs, prout temporum obseruatio exigit cumulatissime instructas. In epulis accumbunt lectulis positis. Primus in mensæ locus tribuitur matri familias, talari tunica & sæpe crocota, bene manicata amictæ. Sed de Hibernia satis.

INSVLARVM CIRCA MAGNAM BRITANNIAM DELICIAE *seu* DESCRIPTIO.



Nsularum omnium, quæ Scotiam veluti coronant, tres sunt vel classes, vel ordines, Occidentales, Orcades, & Zeelandicæ. Occidentales

orientē Cathanesiam contingit. Sutherlandia his omnibus ita interiecta est, vt omnibus sit finitima, atque ab aliqua regione coeli eas cótingat. Nam ab occidente Stranauerniam, à meridie & oriente Rossiā, à Septemtrione Cathanesiā habet obiectā. Cultores magis ex natura regionis pascuo quā aruo dediti. Nihil in ea memorabile nisi quod montes candidi marmoris habet, rarū in regionibus frigidis miraculum, & prope in nullos vsus comparatum, quod nondum eius affectatrix luxuria eo immigrarit. Cathanesia vltima ad Septemtrionem Scotiæ regio est, qua in plaga ei Nauernia occurrit, hæque regiones Scotiæ latitudinem in frontem angustam contrahunt. In ea fronte tria attolluntur promontoria. Altissimum in Nauernia, quod Ptolemæo est Orcas, siue Taruedrum & Taruisium: reliqua duo nequaquam æque sublimia in Cathanesia sunt, Veruedrum, nunc Hoia, & Betubium, falso Hectori Boethio Dume appellatum, nunc Dunis Bei vulgo dicitur, alij Duncans Bei vocant. Ex hoc nomine aliquot literis exemptis vox Dunis Bei facta videtur. In hoc tractu Ptolemæus collocat Cornauios, cuius nominis adhuc vestigia quædam restant. Arcem enim Comitum Cathanesiæ vulgo Gernico vocant. Nam qui Ptolemæo, & exteris Cornauij sunt, Britannis Kernici fuisse videntur. Nam cum non in hoc tractu modo, sed in diuersissima insulæ parte, nempe in Cornouallia Cornauios ponat, eosdem

Suterlandia. *Cornania.*

eosdem, qui vetustum sermonem Britannicum retinent, adhuc Kernicos vocant. Restat nunc vt de insulis aliquid dicamus. Recentiores insularum omnium, quæ Scotiam velut coronant tres fecerunt vel classes vel ordines. Occidentales, Orcadas, & Zelandicas. Occidentales appellantur quæ ab Hibernia pæne ad Orcades in mari Deucaledonia lateri Occidentali protenduntur. Has alij Hebrides, alij Mæuanias, alij Beteoricas appellarunt. Orcades in mari partim Deucaledonio, partim Germanico, ad Septemtrionalem Scotiæ partem sparsæ sunt. Harum de nomine inter Scriptores veteres & recētiores satis conuenit, sed qui eas primi tenuerint, non satis constat. Omnes Germanicæ originis eos fuisse tradunt: at è qua natione Germanorum aduenerint, id non proditur. Si è sermone coniecturam faciemus, & olim & nunc quoque vetere Gothica lingua vtuntur. Sunt qui Pictos eos fuisse arbitrantur, hoc maxime argumento, quod fretum eos à Cathanesia diuidens, Picticū cognominatur: Pictosque ipsos generis Saxonici fuisse existimāt, Claudiani carmine maxime freti:

Maduerunt Saxone fuso
Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule:
Scotorum tumulos fleuit glacialis Ierne.

Sed quum de his infra in Britannicarū insularū descriptione acturi simus, hæc paucula sufficient, vt Scotiæ finem imponamus.

Hibernia Insula sequitur, Orpheo, Ari-

ſtoteli & Claudiano Ierna, Iuuenali & Melæ Iuuerna, Diodoro Siculo Iris, Euſtachio Vernia & Bernia, incolis Erin, Britannis Yuerdhon, Anglis Ireland. Vnde hæc profluxerint nomina variæ vt in re obſcura ſubinde enatæ ſunt opiniones. Hiberniam alij ab Hibero Duce Hiſpano, qui primus magna hominũ coacta multitudine, eã occupauit dictã volũt; ab Ibero fluuio alij, quod illius accolę primi inſulam habitauerint; alij ab hiberno tempore, quia ad Occidentem vergit, Eulogij author ab Irnalpho Duce. Hibernia & Iuuerna, proculdubio ab Orphei & Ariſtotelis Ierua dimanarunt, Ierua autem illa, Iris Iuerdhon, & Ireland, ab incolarum Erin. Ab Erin ergo gentis vocabulo etymon petendum. Hic Camdenus quid opinione augurari poſſit ſe habere negat: niſi forſan, inquit, ſit ab Hiere Hibernica voce illis occaſum, ſiue plagam Occidentalem ſonante, vnde Erin quaſi Occidentalis Regio deducta videatur. Prortenditur hæc Inſula ab Auſtro in Aquilonem, forma lenticulari, ſiue ouali, nõ viginti dierum nauigatione, vt Philæmon apud Ptolemæum tradidit, ſed CCCC. tantum mill. paſſ. Latitudine vix CC. implet. Ab Ortu habet Britanniam, à qua Mari Hibernico & vnius tantum diei nauigatione diſcluditur. Ab Occidente vaſtum Oceanum. A Septemtrione, qua Oceanus Deucaledonius, quem Ptolemæus vocat Hyperboreum, irrumpit, habet Islandiam: ab Auſtro reſpicit Hiſpaniam. Aer huius Inſulæ eſt ſaluberri-

Hibernia vnde dicta.

mus,cœlum mite,clemens, blandum. nam neque æstiuo calore incolæ ad vmbras & loca opaca impelluntur:neque frigore ad focos;semina tamen ob Autumni humiditatem rarius maturescunt.Hinc Mela scribit, cœlum ad maturanda semina iniquum habere. Salubritate tamē & serenitate aeris multum Britanniæ præstat. Terræmotus hic numquam,vix semel in anno tonitru audies.Regio gleba præpingui,vberique frugum proventu felix est:pascuis tamen quam frugibus,gramine quam grano fœcundior.Tritici namque grana sunt hic contracta & minuta,& vix alicuius vanni beneficio purganda. Quod ver gignit,æstas nutrit, vix in messe pluuialis aquositas colligi permittit. Aeolicis namque flatibus,& pluuialibus inundationibus præ alijs terris hæc exuberat. Verum(vt inquit Mela) adeo luxuriosa herbis non lætis modo,sed etiam dulcibus, vt si exigua diei parte pecora se impleant, & nisi pabulo prohibeātur,diutius pasta dissiliant. Quod etiam Solinus de hac Insula testatur. Hinc pecorum infinita multitudo,primæ & præcipuæ Incolarum opes,ouium etiam greges plurimi, quas quotannis bis tondent. Equi item optimi(Hobies vocantur) quibus non idem qui cæteris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio.Nullum ibi reptile degit,nullus serpens, priuilegio cum Creta communi:sæpe etiam illuc de Britannia allati serpentes, mox vt

Hibernia fertilitas.

proximantes terris odorem aeris illius attraxerunt, intereunt. Beda testis est, vidisse se, quibusdam à serpente percussis rasa folia codicum ex Hibernia asportatorum propinata esse, & continuo totam vim grassantis veneni, tumoremque inflati corporis recessisse. Falcones præterea, accipitres & nisos, præ alijs regionibus copiose producit. Aquilarum quoque non minor hic copia, quā alibi miluorum. Tanta vero multitudine se grues ingerūt, vt vno in grege cētū frequenter reperias. In Boreali plaga Cygni etiam abundant, Ciconiæ vero per vniuersam Insulam rarissimæ sunt, & illæ nigræ: Perdices, Phasiani, Picæ & Philomelæ deesse dicuntur. Apum tanta multitudo, vt non solum in aluearijs, sed etiam in arborū truncis & terræ cauernis reperiantur. Scribit etiam Giraldus de auibus præ cæteris hoc memorabile, è lignis quibusdam in mari temere natantibus, gummi primum effluere: hoc gummi postea in crustā indurescere, intus nasci animalcula, quæ primū vitā, postea rostra, pennas, alas concipiant, quousque vel in aere volitent, vel aquis innatent, neque aliter generari hoc animal. Syluester Giraldus quem dixi, testatur se istiusmodi aues permultas vidisse semiformatas, rostro ex testulis pendentes, quæ si perfectę fuissēt, reliquarum more volitassent. Sunt & aues, eodē teste, biformis naturę, quas Aurifrisios vocant, plurimæ, aquila quidem minores, accipitre

Anseres marini.

pitre

pitre maiores, quibus alterum pedem vnguibus armatum, apertum & rapacem, alterum vero clausum & pacificum, solique natatui idoneum, naturæ ludentis opera contulit ad miranda. Sunt & aliæ quas Martinetas vocant, merula minores, in modum coturnicum curtæ, sed albo ventre nigroque dorso degenerant. Mirum de his auiculis, quia si mortuæ in loco sicco seruentur, putrescere nesciunt: & inter vestes aliasue res locatæ, eas indemnes à tinea conseruant. Et quod longe stupore dignius est, mortuæ quoque in sicco suspensa, rediuiua plumarum renouatione singulis annis immutantur. Ferarum quoque omnia fere genera continet. Habet enim Ceruos, qui præ nimia pinguedine parum ad cursum apti sunt: & quanto minores sunt corporum quantitate, tanto præcellentius efferuntur cornuum dignitate. Aprorum magna copia est, Sunt & Lepores multi. Sed omnium animalium ferarum & auium corpora, hic quam alibi minora. Est & Taxus, Mustela. Sed caret Capris, Damis, & Ericijs. Talpæ nullæ vel rarissimæ: sed Mures infiniti. Lupum item, & Vulpem habet. Sed de his satis, ad alia transeo. Hibernia quondam multos Regulos habuit, nunc autem sub Anglorum regimine & per Proregem quem Dominũ deputatum vocãt, administratur Hibernia vero sub dominio Regis Anglorum incidit circiter annum 1175. quo Rodericus Connaciæ Rex, se Regem vniuersæ Hiberniæ nominauit, qui cum totam

Feræ.

insulam

insulam subiugare contenderet, bellum continuum cum cæteris Regulis gerebat, ex cuius quidem seditione factum est, vt alij Reguli se sponte, ac sine vlla sanguinis effusione Anglorum Regi Henrico secundo dederint: & inde omnes Hiberniæ Domini dicti sunt vsque ad Henricum octauum, qui Rex Hiberniæ ab insulæ Ordinibus & Proceribus declaratus fuit, quia quibusdam seditiosis Domini nomen erat iuuisum. Quatuor in hac ciuitates præcipuæ, Dublinia totius Hiberniæ Metropolis, Sedes Regia & Archiepiscopalis, Comitatusque titulo exornata. Secundas partes tenet VVaterfortia, tertias Limmiricum, quartas Corcagia. Sunt & alia ibi oppida ac municipia satis magna, de quibus in particularibus descriptionibus alij fusius. Lacus quoq; plurimos hæc terra habet, inter quos lacus est in Hultonia ab Erno lacu xv. mill. distans, de quo alij fusius. Super Armacum vrbem stagnum est haud amplum, in quod si hastam defixam aliquot méses relinquas, pars ea quæ luto inhęsit ferrea, quæ aquæ immersa saxea, exstans lignea futura sit. Est & Erno lacus, qui xxx. mill. pass. in longitudine, xv. in latitudine diffunditur, syluis opacis coronatus, & adeo piscosus, vt piscatores nimiam frequentius piscium copiam, retiumque rupturas potius quam defectus conquerantnr. Fluminibus item egregijs scinditur & rigatur insula: quorum nomina hæc sunt: Aueulisius, Dubel perfluens, Boandus,

Vrbes.

Ernolacus.

Boandus, per Mediam, Banna per Vltoniam: per Connaciam, Linnus, & Moadus, per Kenelcunilliam, Slicheiam, & Samairam: Modarus vero & Furnus per Keneleouiam, & alia plurima. Inter omnia vero flumina Hiberniæ nō immerito principatū Synneus obtinet, tam quantitatis suæ maiestate longisque terrarum excursibus, quam fœcundissima piscositate. Cæterum flumina & Lacus suis sibi innatis fœcunda sunt piscibus. Terra inæqualis est & montosa, mollis & aquosa. In summis montium verticibus stagna reperies & paludes. Pecore montes, nemora feris abundant. De mari quod Hiberniam & Britanniam interluit sic scribit Solinus: Mare quod inter Hiberniam & Britanniam interluit, vndosum & inquietum toto in anno, nonnisi æstiuis pauculis diebus est nauigabile. Sed errat. Satis enim tranquillum est, nisi ventorum vi agitetur. Et non solum æstate, sed etiam summa hyeme, vectores vltro citroque nauigant. Marinis autem piscibus per omnia latera maritima, satis abundat. Habet Hibernia in vniuersum Comites triginta tres. Archiepiscopos quatuor: Armachiensem totius Hiberniæ Primatem: Dublinensem Hiberniæ Primatem: Cassiliensem, & Toamensem. Et hi quatuor viginti nouem suffraganeos habent. Hibernia ex incolarum moribus in duas partes distribuitur. Qui enim legibus teneri recusant & incultius viuunt, Irishire, & vulgo VVild Irish. id est, sylue-

Flumina. *Comites.*

cum obtinent Pedites leuis armaturæ machærophori,qui Karni dicuntur, & neminē occisum putant nisi capite truncatum. Tertio loco sunt cursores, quos Daltinos vocant, qui inermes incedunt & ministros se præbent equitibus. Totus autem tam equitatus quam peditatus, quoties ad manus venitur magna voce Pharro Pharro inclamat: & tibia vtriculari loco tubæ vtitur. Cænitant Hibernici magnifice & opipare. Nam licet delicatis artolaganis minime abundent, nec etiam vlla vrbana in epulis lautitia adhibeatur, mensas tamen habent, boue, porco, & alijs cibarijs, prout temporum obseruatio exigit cumulatissime instructas. In epulis accumbunt lectulis positis. Primus in mensæ locus tribuitur matri familias, talari tunica & sæpe crocota, bene manicata amictæ. Sed de Hibernia satis.

INSVLARVM CIRCA MAGNAM BRITANNIAM DELICIAE *seu* DESCRIPTIO.



Nsularum omnium, quæ Scotiam veluti coronant, tres sunt vel classes, vel ordines, Occidentales, Orcades, & Zeelandicæ. Occidentales

dentales appellant, quæ ab Hibernia pene ad Orcades, in mari Deucaledonio lateri Scotiæ occidentali prætenduntur. Eas, qui nunc aut patrum ætate aliquid de rebus Britannicis scripto euulgarunt, Hebridas appellant, nomine certe nouo, & cuius nullam originem aut vestigium è scriptoribus priscis ostendunt. In illo enim maris tractu alij AEbudas vel AEmodas collocarunt: sed tanta inter se inconstantia, vt vix vnquam in numero, situ, aut nominibus conueniant. Straboni (vt ab antiquissimo incipiam) fortasse venia danda sit, quod ea parte orbis nondum satis explicata, famam incertam secutus videri possit. Mela Hemodas septem, totidem Martianus Capella Acmodas, Ptolemæus & Solinus quinque AEbudas, Plinius septem Acmodas, & triginta AEbudas numerat. Nos in nominibus frequentissima antiquis retinebimus, AEbudasque omnes occidentales insulas appellabimus. Situm, & singularum naturas, commoditatesque auctoribus vt recentioribus, ita multo certioribus recensebimus. In primis autem Donaldium Monroum sequemur, hominem & pium & diligentem qui eas omnes & ipse peragrauit, & oculis perlustrauit. Hæ vero in mari Deucaledonio sparsæ iacent numero super trecentas. Ab vltimis vsque temporibus omnes Scotorum reges eas tenuerunt vsque ad Donaldum Milcolumbi Tertij fratrem, qui eas regi Noruegiæ cessit, vt eius opera in regno Scotorum aduersus

AEbudes Insulæ.

aduersus ius fasque occupantium adiuuaretur. Tenuere eas Dani & Noruegi circiter annos centum sexaginta, donec ab Alexandro tertio Scotorum rege ingenti prœlio victi eis cesserunt. Tentarunt interdum & viribus freti, & sedionibus adducti, se in libertatem vindicare, & sibi reges creare. Regium enim nomen alij, tum non adeo pridem Ioannes è Donaldina familia vsurpauit. In victu, vestitu, totaque rei domesticæ ratione antiqua vtuntur parsimonia. Oplonatio illis est venatus, & piscatio. Carnem aqua in omasum, aut cæsi pecoris pellem infusa coquunt, in venationibus interim sanguine expresso cruda vescuntur. Pro potu est ius carnium elixarum. Serum lactis aliquot annos seruatum in conuiuijs etiam auide bibunt. Id potionis genus Blandium appellant. Maior pars aqua sitim sedat. Panem ex auena & hordeo (quæ sola frugum genera in illis regionibus proueniunt) conficere non iniucundum ex vturno vsu peritia quadam adhibita consueuerunt, Mane ex eo paulum degustant, eoque contenti venantur: aut si quid aliunde operis est obiectum, vsque ad vesperum cibo abstinent. Veste gaudent varia, ac maxime virgata. Colores amant maxime purpureum ac cæruleum. Maiores sagis versicoloribus plurifariam distinctis vtebantur, vt adhuc plerisque mos est. Verum plures nunc magis fuscas, & ericæ frondes proxime imitantes, ne in ericetis cubantes luce florida vestis agnosci

Fragilitas Insulanorum.

agnosci possint, ferunt. His inuoluti potius quam tecti sæuissimas tempestates sub dio tolerant.ac interdum niuibus obruti somnum capiūt. Domi etiam suæ humi cubant. Substernunt silices.aut ericam,sedhanc radicibusdeorsum,frondibus sursumversis:adeoque scitè hac ratione lectos concinnant, vt mollitie cum pluma certent,salubritate longe superent. Erica enim naturali siccandi vi prædita superuacuos humores exhaurit,neruisque eorum molestia liberatis suum vigorem restituit,ita,vt qui vespere languidi & lassi decubuerunt. mane, vegeti & alacres resurgant . Omnibus non negligentia modo in culcitris ,& stragula veste, sed affectatio inculti horroris & duritiei summa est . Si quando vsus aut necessitas eos in peregrinum solum trahit, culcitras & hospitum stragula humi prouoluunt,ac suis vestibus inuoluti se quieti componunt: solliciti videlicet , ne barbara illa (vt ipsi vocant) mollities patriam , & ingenuam duritiem contaminet . In bello autem quibus corpora tegant arma sunt

Arma. cassis ferrea, & lorica ferreis annulis confecta, plerunque ad talos vsque demissa. Tela aduersus hostem arcus & sagittæ maxima ex parte hamatæ ferreis vtrinque barbulis eminentibus, quæ nisi vulnere late patefacto è corpore extrahi non possunt . Sunt qui ensibus latis aut securibus pugnent.Loco tubæ tibia vtuntur vtriculari. Musica maxi-

me

me delectantur, sed sui generis fidibus, quarum alijs chordæ sunt æneæ, alijs èneruis factæ, quas vel vnguibus prælongis, vel plectris pulsant. Vnica autem illis ambitio est vt fides multo argento exornent & gemmis. Tenuiores pro gēmis crystallū adhibent. Accinunt carmē nō concinne factum, quod fere laudes fortium virorum contineat: nec aliud fere argumentum eorum Bardi tractant. Vetere Gallorum sermone paulum vtuntur. Insulæ circa Scotiam quæ prisca vtuntur lingua, quæque Occidentales vocantur, ita fere se habent. Prima omnium est Mana, falso quibusdam dicta Mona, ab antiquioribus Eubonia: à Paulo Orosio Meuania, aut potius Mænauia. Prisca enim lingua Manim dicitur. Superior ætas oppidum in ea Sodoram appellabat, in qua insulanorū episcopus sedem habebat. AEquo fere spacio ab Hibernia, Gallouidia Scotiæ, & Cumbria Angliæ prouincia sita est. Viginti quatuor millia passuum in lōgum, octo in latum protenditur. Proxima in æstiuario Glottæ surgit Alisa, rupes ardua, vndique præter vnum aditum præceps. Toto fero humano cultu vacua, nisi quod statis temporibus nauicularum ingens numerus ad asellos piscandos eò conueniat. Frequens est cuniculis, auibusque maxime, eoque maxime genere anserum quas Solanas vocamus. Ex æquo fere spectat ad orientem hibernum Carictam, ad occidentem hibernum Hiberniam, ad occidentem æstiuum Kinderam. Mana.

promontorio Cantera paulo plus mille passus abest Auona, id est, portuosa: id cognomen adepta ab statione nauium: quod cum Dani insulas tenebant, ad eam classes eorum cursus dirigebant. Ab eodem promontorio ad occidentem hibernum contra Hiberniæ litus porrecta est Raclinda. Et à Kintera quatuor millia exigua insula Caraia: nec longe ab ea sita est Gigaia sex millia longa, mille & quingentos lata. Ab hac quatuor & viginti in longum porrecta abest Iura. Dodecim autẽ millia distat à Gigaia. Maritima cultu satis frequentia sunt: interiora siluis operta ceruorum varij generis copia abundant. Sunt qui existiment eam antiquitus Deram fuisse nominatam, quod nomen ceruum Gothico sermone significat. Ab hac duo millia abest Scarba, ab Oriente in Occidentem quatuor millia passuum in longitudinem excurrens, mille lata: raris in locis ab hominibus culta. AEstus maris inter eam & Iuram tam violẽs est, vt nec velis, nec remis, nisi certis tempestatibus superari possit. Post hanc multæ ignobiles insulæ deinde sparguntur, Bellach, aut Genistaria, Geurastilla, Longaia, vtraque Fiola. Tres item Garuæ cognominibus distinctæ, Culbrenina, Dumchonel, Luparia, Belnahua, Vikerana, Vitulina, Luinga, Scila, Seuna. Hæ tres proximæ pecore & frugibus satis fœcundæ Argatheliæ Comitibus parent. Proxima his Sclata, quod è rupe eius tegulæ, quas Sclatas vocant, excidantur. Deinde Naguisoga,

Auona. *Scarba.*

guisoga , & Eisdalfa ,Skennia,& quæ vocatur Thiana,ab herba frugibus noxia non dissimili luteæ, nisi quod magis diluto sit colore, & Vderga,& insula Regia: mox Duffa, hoc est nigra, atque insula Ecclesiæ, &Triaracha. Deinde insula Ardua, Humilis, & Viridis, & Ericæa. Item Arboraria, Capraria,Cunicularia,& quæ Ociosorum dicitur, & Abridica.Item Lismora,in qua olim sedes episcopalis Argatheliæ fuerat , longa octo millia passuum,lata duo. In ea præter communia cum cæteris commoda , metalla inueniuntur. Deinde Ouilia , & Siuna , insula Traiectus , insula Ouicularis. Item Hada , & insula Saxi , & Gressa , & insula Magna,& Ardiescara , & Musadilla , & Bernera , olim sacrosanctum asylum dicta, Silua taxi nobilis , Molochasgit , Drinacha spinis,sambuco & magnarum ædium ruinis operta. Insula Vici fabrorum siluæ fertilis, Item Ransa,& Keruera. Maxima post Iuram ad Occidentem est Ila , longa viginti quatuor millia,sedecim lata,à Meridie in Septemtrionem porrecta:pecorum,frumenti,ceruorum,item plumbi fertilis.Amnem aquæ dulcis habet , nomine Laiam,item aquæ marinæ sinum , in quo insulæ variæ .Præterea aquæ dulcis lacum,in quo est insula Falangama dicta, olim omnium Insulanorum regia , in qua insularum regulus assumto nomine regio solebat habitare Huic propinqua,sed minor est insula Rotunda,cui etiam à consilio no-

lio nomen est inditum. In ea enim curia erat in qua quatuordecim è primoribus ius assidue dicebant, ac de summa rerum etiam agitabant consilia, quorum summa æquitas & moderatio pacem domi forisque præstitit, & pacis comitem rerum omnium affluentiā. Inter Ilam & Iuram sita est insula parua, à cumulo lapidum cognominata. Ad australe latus Ilæ iacent hæ deinceps insulæ: Colurna, Mulmoris, Osrima, Brigidana, Corskera, insula Humilis, Imersga, Beathia, Texa, Ouicularia, Naosiga, Rinarda, Cana, Tarscheria, Achnara, insula Magna, insula figuræ humanæ, insula Ioannis, Stacbadis. Ad occidentalem Ilæ angulum Ouersa. Ibi quoque fretum torrentissimum nisi certis horis impermeabile est nauibus, Insula Mercatoris: & ad occidentem æstiuum spectans Ysabrasta, & Tanasta, & Nefa, & insula Textoris, & ad octo millia ab Ila magis in septentriones versa Oruansa, & ei proxima Porcaria, & quingentos passus ab Oruansa Coluansa. Vltra Coluansam ad septentriones iacet Mulla 12. millia passus distans ab Ila. Hæc insula quatuor & viginti millia in longum, totidem in latum porrigitur: aspera quidem illa, sed frugum non infoecunda. Habet siluas frequentes, magnosque ceruorū greges, portūque satis tutū. Ex aduerso insulæ Colūbi habet duos amnes salmonum foecundos, alios itē minores non steriles: quos itē lacus & in singulis singu- *Mulla.*

las insulas,suasque in eis arces.Mare diuersis in locis irrumpens quatuor facit sinus, omnes halecum abundantes. Ad occidentem hibernum sita est Columbaria,insula columbarum,ad orientem æstiuum Era.vtraque pecori,& frumentis,& piscatui commoda. Ab ijs duo millia passum abest insula D.Columbi, longa duo millia passuum, supra mille lata, fertilis quidem omnium,quæ ea cœli plaga gignere solet, & veteribus, vt in ea gente, monumentis illustris:sed D.Columbi seuera displina & sanctitate clarior. Erant in ea duo monasteria, alterum monachorum, alterum monacharum,curia vna siue (vt nunc loquuntur)parochialis ecclesia, multaque sacella ex munificentia regum Scotorum,& regulorum Insulanorum. In cœnobio veteri D.Columbi insularum episcopi sedem statuerunt,vetere domicilio,quod erat in Eubonia, ab Anglis capto. Remanet adhuc inter veteres ruinas sepulcretum, siue cœmiterium commune omnium nobilium familiarum,quæ in occidentalibus insulis habitabant. Eminent inter cæteros tumuli tres modicis interuallis distantes,tribus impositis domunculis in Orientem versis. In occidentali cuiusque parte lapis inscriptus,quorum tumuli sint,indicat.Qui medius est,titulum habet, TVMVLVS REGVM SCOTIAE. Ferunt enim quadraginta octo reges Scotorum ibi fuisse humatos.In dextro incisus est titulus, TVMVLVS REGVM HIBER-

Columbaria.

BER-

NIAE. Quatuor enim reges Hiberniæ illic cōditi fuisse dicuntur. Qui est in sinistra parte, inscribitur, TVMVLVS REGVM NORVEGIAE. Huius enim gentis octo reges illic fuisse sepultos, fama est. In reliquo cœmiterio seorsum claræ Insulanorum familiæ habeut sua conditoria. Circa eam sex proximæ insulæ exiguæ, nec tamen infœcundæ, ab antiquis regibus, & Insulanorum regulis cœnobio Columbæ donatæ fuerunt. Soa etsi ouibus commoda habet pascua, maior tamen prouentus est ex auium marinarum incubatu, & maxime ex ouis. Proxima est Mulierum insula, ac deinde Rudana, mox Reringa. Post eam Skennia quingentos passus â Mulla distans. Habet suum parochum: sed parochiani magna ex parte in Mulla habitant Littora cuniculis abundant. Ab hac mille passus abest Eorsa. Hæ omnes cœnobij Columbi monachis parent. Ab Eorsa duo millia abest Vlua, quinque millia passuum longa, frumento & pascuis pro magnitudine fœcunda. Habet stationem nauibus longis commodam. Australi eius lateri prætenditur Coluansa. Agrum habet non infœcundum, ac siluam colurnam. Ab hac fere trecētos passus sita est Gomatra, duo millia longa, mille passus lata, à Meridie in Septemtrionē excurrens. Deinde à Gomatra quatuor millia passuum Meridiem versus Stafa, vtraque portuosa. Quatuor ab hac millia passuum ad occidentem æstiuum recedunt duæ Kerniburgæ,

Soa.

Coluansa.

burgæ , maior & minor, rupium ita circumuallatæ præcipitijs, & ęstu torrentissimo vt naturali munimento industria adiuto sint plane inexpugnabiles. Ab his mille passus distat insula, cuius terra fere tota est nigra ex putribus vetustate siluis, & musco concreta. Eius glebas ad vsum ignis desiccant: inde desiccant: insula Monadum: nam ita genus illud terræ vocant, quæ Anglico sermone Mossa dicitur. Deinde Lunga duo millia in longitudinem porrecta, dimidio minor Baca. Ab hac ad Occidentem sex millia recedit Tireia, octo millia longa, tria lata, omnium insularum omnibus ad vitam rebus necessarijs longe copiosissima. Nam & pecore & frumento, piscatu, & marinarum auium fœtu abundat. In ipsa est lacus aquæ dulcis, & in ea vetus arx: habet & portum longis nauibus non incommodum. Hinc duo millia abest Gunna, & à Gunna, pari spacio Colla duodecim millia lõga, duo lata, in primis fertilis. Nec procul hinc est Calfa, tota prope siluis operta. Post quæ insulæ cognominatæ Virides, maior, & minor. Item totidem eisdem cognominibus ex aduerso promontorij Mullæ. Iacent non longè ab ea duæ insulæ, cognominatæ Glessæ, hoc est cæruleæ, Deinde Adan ridir, id est, alta insula equitis. Deinde Luparia, siue insula luporum. Post eã insula Magna. A Colla insula Septemtrionẽ versus protenditur ab Oriente in Occidentem sedecim millia, sex lata, montibus arduis

siluo-

siluosis assurgens Ruma,& quia raris in locis habitata est, aues marinæ passim in campis oua ponunt, quorum quantum libet quiuis vere adulto colligit. In rupibus excelsis marini anseres (de quibus ante à nobis dictum est) abunde capiuntur. Ab ea quatuor millia ad orientem hibernum est insula Equorum, & ab ea quingētos passus Porcaria, pro magnitudine rerum necessariarū abundans. Nidificat in ea falco: habet & portum satis commodum. Non longè ab hac sunt Canna & Egga, modicæ insulæ, satis fæcundæ, posterior etiam anseribus marinis, quas Solanas vocant. Deinde Soabretilla, venatui quam alijs vitæ commodis aptior. Hinc à Septentrione in Meridiem porrigitur Skia, omnium insularum circa Scotiam maxima, quadraginta duo millia passuum longa, alibi octo, alibi duodecim lata, in montes pluribus locis se attollens, ipsi siluis, &, siluæ pascuis abundant, campi frugum & pecorum fertiles: in his præter alia pecora greges equarum. Quinque amnes habet maiores salmonū fœcūdos, multos etiā minores nec eos salmonū steriles. Mare ab omni parte in terram penetrans, multos aquæ salsæ sinus facit: tres præcipuos, tredecim item alios, omnes halecū fœcundos. Habet & lacum aquæ dulcis & quinque arces. Insula priscorū Scotorū sermone Skianacha, hoc est alata vocatur, quod promontoria, inter quæ mare se infundit, velut alæ se obtendunt. Vsus tamen obtinuit Skia.

obtinuit, vt Skia, id est Ala vulgo diceretur. Circa hanc sparsæ iacent insulæ minores. Oransa frugibus & pecore, Cunicularia nemoribus & cuniculis abundans, Paba latrocinijs infamis, quod in eius siluis prædones transeuntibus insidias locant. Inde Scalpa octo millia ad æstiuum Occidentem sita. Præter alia commoda magnos ceruorum greges in siluis alit. Inter ostium Caronis sinus, & Raarsam iacet Crulinga statio nauibus tuta. Et à Scalpa duo millia in Septentriones porrigitur Raarsa septem millia longa, duo lata: siluas habet betuleas, & in eis ceruos. Quingentos ab ea passus est Rona siluis & erica operta. Portum in intimo sinu habet latrocinijs infestum prætereuntibus, insidijs tegendis aptũ: & in sinus (qui à breuitate Gerloch vocatur) ore est eiusdem nominis insula. Et à Rona sex millia Septentrionem versus Flada, & à Flada duo millia Tuilmena, & ad Australe Skiæ latus Oransa, & mille P. ab ea Buia parua, deinde Buia maior, ac deinceps quinque paruæ insulæ ignobiles: post quas Isa fertilis frugum; & iuxta eam Quia, deinde Askarma, & Lindilla, & ad octoginta millia à Skia ad occidentem æstiuum proiecta Linga, & Gigarmena, & Bernera, & Megala, & Paba, & Flada, & Scarpa veruecum, & Sandera, & Vatersa quæ præter alia commoda plurima stationem habet multarum, & magnarum nauium capacem, in quam ex omnibus circumiacentibus regionibus statis temporibus

poribus magna piscatorum frequentia conuenire solet. Hæ nouem postremæ insulæ sub dominatu sunt episcopi insularum. A Vatersa duo millia abest Barra septem millia longa, ab occidente hiberno se ad orientem æstiuum exporrigens: frugum non infoecunda: piscatu asellorum maxime insignis. In hanc sinus maris angustis faucibus infunditur: interius latus rotundatur. Insulam habet vnam, & in ea arcem munitissimam. In Septentrionali plaga Barræ assurgit collis, ab imo ad ad summum herbidus: è summo ebullit fons aquæ dulcis, è quo riuus qui defluit, secum in mare vicinum defert velut minuta quædam, sed adhuc informia animalia, quæ aliqua ex parte, sed obscure speciem conchularum, quas vulgo vocamus Cochleas, præferre videantur. Hanc littoris partem, in quam deferuntur accolæ, magnas arenas appellant, quod ibi recedente maris æstu vltra mille passus arena nudetur: illinc magnæ cōchæ effodiuntur, quas vicini credunt ex illo velut semineo, quod riuus è fonte defert aut nasci, aut certe in mari incrementum sumere. Inter Barram & Vistum iacent hæ deinceps exiles insulæ, Orbansa, Ouia, Hakersæta, Garulanga, Flada, Buya maior, Buya minor, Haia, Hellisaia, Gigaia, Lingaia, Feraia, Fudaia, Erilcaia. Ab his in Septentriones excurrit Vistus, longa triginta quatuor, lata sex millia. Hæc influente duobus in locis maris æstu trium velut insularum speciem præbet: rursus

Barra.

Cochleæ.

rursus nudatis æstu recedente arenis in vnam coit. In ea plurimi sunt lacus aquę dulcis: sed vnus præcipua magnitudine tria millia passuum longus. Ad hunc exesa terra mare viam sibi patefecit, nec ab incolis obiecto sexaginta pedū aggere excludi potuit, quo minus inter ingentia saxa malè coagmentata se insinuet, & marinos pisciculos perlæpe relinquat. In eo piscis capitur cætera salmoni similis nisi quod ventre albo, dorso nigro sit, & sine squamis instar salmonis. Item in eo prope innumeri sunt aquæ dulcis lacus. Speluncas habet erica tectas, latronum latibula: in ea sunt quinque ad sacrorūm vsum Curiæ. Inde octo millia Orientem versus iacet Helscher Vetularum, ita reor cognominata, quod ad monachas Ionæ insulæ spectet. Deinde paulo longius ad Septentriones se attollit Haueskera, in quam certo anni tempore vituli marini frequentes appellunt, & capiuntur. Sexaginta fere vltra hanc millia ad occidentem æstiuum recedit Hirta, frugum, pecorum, ac maxime ouiuum ferax, proceriores que gignit, quam vlla aliarum. Incolæ propè omnium artium, ac maxime religionum rudes. Eò post solstitium æstiuum dominus insulæ procuratorem suum ad vectigalia colligenda mittit, & vnà cum eo sacerdotem qui pueros proximo anno natos baptizet: is autem si forte desit, suos quisque baptizat. Domino pendunt certum numerum vitulorum marinorum, & sole duratorū veruecum, & auium

auium marinarum. Tota insula non superat longitudinem mille passuum, totidem prope lata, nec ab vlla aliarum insularum videri pars eius vlla potest, prçter tres montes in litore se attollentes, qui ex locis editioribus cernuntur. In ijs montibus sunt oues eximia pulchritudine, sed ob violentiam æstus marini vix cunquam est ad eos aditus. Iam vt ad Vistum redeamus, à promontorio eius septentrionali sita est iusula Valaia mille passus lata, duplo longior. Inter promontorium & Haueam insulam hæ fere sunt interiectæ exiguæ quidem, sed non infrugiferæ, Soa, Stroma, Pabaia, Barneraia, Enisaia, Kiligira, Saga parua, magna, Hermodraia, Scaruaia, Cria, Lingua, Gillinsa, Hea, Hoia, Ferelaia, Soa parua, Soa magna, Isa, Seuna parua, Seuna magna, Taransa, Slegana, Tuemen, & supra Haream Scarpa, & ad occidentem æquinoctialem supra Leogum quinquaginta millia absunt septem insulæ, quas alij Hauanas alij Sacras, Asyla vocant, in montes herbidos cõsurgentes, sed ab omni humano cultu desertæ: neque quadrupedem fere vllum præter oues feras habent, quæ à venatoribus capiuntur, sed ad nullum victus vsum. Carnis enim loco aruinam habent, aut si quid se carnis, id adeo insuaue est, vt nemo attingat, nisi in extremo famis periculo. Deinde prope eodem tractu propius Septentrionem iacent Caruellam, id est, aspera insula, & Lamba, & Elada, & Kellasa, & Bernera

parua

parua, Bernera magna, & Kirta, & Buya parua, & Buya magna, & Vexaia, & Pabaia, & Sigrama magna, Cunicularia ab eius animalis fœcunditate vocata, & Sigrama parua, & Pygmæorum insula. In hac fanum est, in quo credunt vicini populi olim Pygmæos fuisse humatos. Multi exterorum terra altius effossa repererunt, & adhuc deprehendunt capita parua, & rotunda; aliarumque corporis humani partium officula, nihil famæ vetustæ derogantia. In eo littore Leogi insulæ, quod in orientem hibernum spectat, duo sinus maris in terram irrumpunt; quorum alterum lacum Meridionalem, alterum Septentrionalem vocant. Vterque toto anno pisces abunde captantibus suppeditat. Ex eodem littore Leogi magis ad Meridiem vergit Fabilla: deinde Adami insula: deinde insula Agnorum. Item Hulmena, & Vicoilla, & Hauerera, & Laxa, & Era, & insula Columbi, & Tota, & Iffurra, & Scalpa, & Flada, & Seuta. Ad orientale latus huius insulæ iter est subterraneum, superne fornicatum, longum vltra iactum sagittæ, sub quam cryptam nauiculæ minores velis aut remis agi solent, dum fugiunt violentiam æstus, qui ad propinquum promontorium magno cum fragore, & nauigantium periculo sæuit. Magis ad Orientem iacet insula, quam Vetustum Castellum appellant, locus naturali munimento tutus, & frugum & piscium copia, & ouis, ibi nidificantium volucrum marinarũ abunde

Pygmæorũ insula.

abundè commeatum incolis sufficiens. Ad littus vbi sinus Briennus terras aperit, insula Eu sita est, tota fere siluis vmbrosa, ac latronibus tantum, qui prætereuntibus insidiantur, accommoda. Magis ad Septentriones iacet insula Gruinorta, & ipsa itidem siluis opaca, & latronibus infessa. Et in eandem cœli plagam spectans insula, Sacerdotum vocata, præter pabula ouis volucrum marinarum abundans. Proxima huic est Afula. Deinde ei propinqua Habrera magna, post eam Habrera parua, iuxta eam insula Equorum: iuxta eam rursus insula Mertaika. Hæ octo proximæ insulæ ante ostium sitæ sunt sinus, quem vulgo lacum Briennum vocant. Ab his insulis quæ sinum Briennum præcingunt, absunt Haraia, & Leogus Septentrionem versus excurrentes. In longum patent sexaginta millia, in latum sedecim. Hæ quidem vnam faciunt insulam, non enim maris infusi æstuarijs, sed limitibus agrorum, & dominorum ditionibus definiuntur. Pars autem ad Meridiem exposita solet Haraia vocari. In ea fuerat monasterium Roadilla dictum, à Macclodio Haraiensi conditum: ager frugum satis fertilis, sed quæ magis ex fodiendo quam arando illis proueniunt. Pascua sunt in ea ouium pasturæ commoda, præsertim mons præaltus ad summum vsque fastigium gramine virens. Narrat Donaldus Monrous, homo doctus & pius, se, cum illic esset, vidisse oues admodum anno-

Lacus Briennus

Haraia.

 sas

sas, vt in eo pecoris genere, sine certis dominis vagas, quarum prouentum illic auget, quod ibi nusquam cernatur vulpes, lupus aut serpens, quanquam inter hanc partem & Leogum magnæ interiectæ sunt siluæ, quæ ceruos alant frequentes, sed humiles, & mole corporis minus conspicuos. In hac insulæ parte fluuius est salmonum ferax. In parte ad Septentriones proiecta est Leogus, secundū

Leogus. littus satis frequenter culta. Quatuor habet Curias, arcem vnam, septem amnes maiusculos, ac duodecim præterea minores, omnes pro cuiusque magnitudine salmonum fœcundos: plurimis in locis mare in terras penetrat, in sinusque se diffundit, omnes halecum copia abundantes. Magnus ibi prouentus ouium, quæ in ericetis ac saltibus libere vagantur. Eas in locum angustum, ac velut caulas singulis annis coactas, incolæ antiquo more vellunt. Soli campestris magna pars ericetis constat, in quibus terra superne est nigra ex musco, & filuis putrescentibus multis seculis coalita ad altitudinem circiter pedalem. Hæc velut superior crusta in cespites oblongos & tenues conscissa, & ad Solem desiccata, in vsum igni colligitur, & lignorum vice vritur. Proximo post anno nudum solum alga marina stercoratum seritur ordeo. In hac insula tanta plerunque balenarum capitur copia, vt aliquando (vti seniores narrant) viginti septem partim prægrandes partim minusculæ decimarum nomine sacerdotibus

tibus sint exhibitæ. Est & in hac insula spelunca ingens, in qua recedente æstu, aqua duas orgyas alta manet: vbi vero redijt æstus, supra quatuor est profunda. Ibi in rupibus sedés omnis generis, sexus & ætatis multitudo, hamis, & lino magnã vim piscíũ promiscuè ducit. Ad Orientem æstiuum sexaginta fere millia pass. à Leogo sita est insula parua, solo humili ac plano, & satis frequenter culto. Nomen est Rona. Cultores homines rudes, ac prope omnis religionis expertes. Dominus eius, qui eam colant, certum familiarũ numerũ finit, eisque maiorum & minorũ pecorum assignat quantũ satis videtur, vnde & ipsi commode viuant, & vectigalia soluant. Quod vltra victum prouenit, ad Leogum singulis annis agri sui dominũ, mittũt. Hæc fere vectigalis nomine pendunt: magnã vim farinæ ordeaceæ in pellibus ouium insutam, (apud eos hoc genus frugum copiose nascitur) carnis ouillæ, & marinarum auium sole duratarum, quantum ex annuo prouentu superat. Ac si quando multitudo capitũ abundat, supernumerarios quoque domino annumerant. Atque ita soli, vt opinor, in vniuerso orbe sunt quibus nihil vnquam deest, omnia ad satietatem redundant. Iuxta luxus & auaritiæ ignari, quique innocentiam & animi tranquillitatem, quam alij magnis laboribus ex institutis & præceptis sapientiæ petunt, ex ignoratione vitiorum comparatam habent, nec aliud quicquam, Rona.

præterquam quod suæ conditionis commoditatem non intelligant, ad summam felicitatem deesse videatur. Est in hac insula sacellum D. Romano sacrum, in eo (vt maiores natu ferunt) ligo perpetuo relinquitur: quo cum quis moritur, sepulcri locum inueniunt designatum. In hac insula præter aliam piscationem plurimæ balenæ capiuntur. Ab hac millia passuum sedecim, Occidentem versus, iacet insula Suilskeraia, mille passus longa, sed quæ nullam herbam, ac ne ericam quidem gignat. Rupes tantum nigras attollit quarum quædam musco nigro teguntur. Volucres marinæ passim ibi oua ponunt, & excludunt. Ad eas nondum ad auolandum maturas proximi è Leogo insula adnauigant, ac plus mius octo dies eis legendis tribuunt, donec earum carne vento durata, plumisque nauiculas onerent. In hac insula rarum, & alijs regionibus ignotum genus auis conspicitur: coleam vocant, magnitudine paulo infra anserem. Ea vere singulis annis eo aduentat, pullosque exclusos eò vsque educat, dum ipsi sibi prospicere possint. Ad id fere tempus plumæ sponte defluentes è toto corpore nudam destituunt: ac tum demum ad mare se recipit, nec ante proximum ver vsquam conspicitur. Illud quoque eis est singulare, quod earum pennæ caulem non habent, sed leui, & cui nihil prorsus duri adest, pluma totũ corpus velut lanugine vestiunt. Sequuntur Orcades in mari partim Deucaledonio, partim

Aues marinæ.

Germa-

Germanico ad ſeptentrionalem Scotiæ partem ſparſæ. Harum de nomine inter ſcriptores veteres & recentiores ſatis conuenit. Rationem autem nominis nemo (quod adhuc ſciam) explicauit. Sed neque, qui eas primi tenuerint, ſatis conſtat. Omnes Germanicæ originis eos fuiſſe tradunt. At è qua natione Germanorum aduenerint, id non proditur. Si è ſermone coniecturam faciemus, & olim, & nunc quoque vetere Gothica lingua vtuntur. Sunt qui Pictos eos fuiſſe arbitrentur, hoc maxime argumento, quod fretum eos à Cathaneſia diuidens Picticum cognominatur, Pictosque ipſos generis Saxonici fuiſſe exiſtimarint, Claudiani carmine maxime freti è ſeptima Panegyrica: *Orcades inſulæ.*

Maduerunt Saxone fuſo
Orcades, incaluit Pictorum ſanguine Thule:
Scotorum tumulos fleuit glacialis Ierne.

Sed eorum refutari facile error poteſt, partim ex Beda Angloſaxone, qui cum quinque diuerſis linguis à Britannis Dei laudes cani aſſeueret, vnam ex eo numero Picticam eſſe ait. Quod ſi tum Saxonicè Picti locuti fuiſſent, eam à Saxonica (qua tum Angli incorrupta vtebantur) non ſeparaſſet: partim quod in illis verſibus Claudianus diſerte Pictos à Saxonibus alios eſſe oſtendat: cum alteris Orcades, alteris Thulen patriam eſſe affirmet: ſed vndecunque ſunt oriundi, noſtra adhuc ætate lingua à Scotis & Anglis diuer-

sa vtuntur, & quæ à Gothica non multum discrepet. In conuictu quotidiano multum è vetusta parsimonia adhuc vulgus retinet, Itaque perpetua corporis & animi sanitatē fere omnes fruuntur. Rari morbis, plerique omnes senio soluuntur, plusque apud eos delitiarum ignorantia, quam apud alios medicorum ars & diligentia ad salutem tuendam prodest. Eadem parsimonia, & ad formæ elegantiam, & ad staturæ proceritatem plurimum facit. frugum prouentus eis exiguus est, præterquam auenæ & ordei, ex quibus eis & panis & vinum suppetit. Ex gregalibus animantibus oues, boues, & capræ non infrequentes, vnde multus eis lactis, casei, & butyri est vsus, aues marinæ innumeræ, ex his fere & piscibus victus eorum magna ex parte constat. Nullum ibi venenatum animal, ac ne deforme quidem aspectu apparet. Sunt eis equulei, specie quidem contemptibiles, sed ad omnes vsus supra quam credi potest, strenui. Nulla vsquam arbor, ac ne frutex quidē præter ericam, nec id tam soli vitio, quā incolentium ignauia, quod facile ostenditur ex arborum radicibus, quæ pluribus in locis eruuntur. Quoties exotica vina nauibus inuehuntur, auide se ingurgitant. Scyphum habent antiquum, quem (vt maior crapulæ sit autoritas) diui Magni, qui primus ad eos Christi doctrinam attulit, fuisse prædicant. Is cum ita superet communium poculorum amplitudinem, vt è Lapitharum conuiuio reseruatus

Parsimonia Insularum.

ſeruatus videri poſſit, eo ſuos epiſcopos initio ad ſe aduentantes explorant: qui plenum vno hauſtu ebiberit (quod admodum raro euenit) miris eum laudibus proſequuntur, atque hinc velut læto augurio ſequentium annorum prouentum animis præcipiunt. Vnde facilis coniectura eſt, illam quam dixi parſimoniam non tam à ratione & ſtudio, quam penuria ortam eſſe, eademque quæ eam initio pepererat, diu apud poſteros conſeruauit neceſſitas, donec vicinis nationibus inualeſcente luxuria corruptis, paulatim diſciplina vetere labefactata, blandientibus quoque delitijs ipſi ſeſe dedidere. Multum etiam præcipitantem temperantiam impulere piratarum commercia, qui regiones continentis habitatoribus frequentes adire non auſi, ex inſulis aquantur, & vina, mercesque alias aut commeatibus mutant, aut vili precio diſtrahunt: & Inſulani, & pauci numero & inermes, & in mari procelloſo ita ſparſi, vt mutuis auxilijs ſe tueri non poſſint, infirmitatis ſuæ conſcij non omnino inuiti ſecuritatē cū lucro coniunctā adblandiente etiā voluptate, vel appetierūt, vel nō reiecerūt. Sed hæc morū labes in potētiores fere & ſacerdotes incubuit. Apud vulgus multa priſtinæ moderationis adhuc veſtigia reſtant. Mare illis non ſolum ventorum violentia, & ſiderum poſitu ſæuum & tempeſtuoſum eſt, ſed æſtibus contrarijs ex Oceano occidentali incitatis, & inter anguſtias terrarum confligen-

tibus nulla vi remorum aut velorum freti ex aduerso recurrentes, & in se contorti vortices superari possunt. Si qui propius accedere audent, aut impetu violento rursus in mare rapiuntur, aut fluctuantis æquoris rapiditate abrepti in rupes, & scopulos compelluntur, aut in se conuolutis aquarum cumulis absorbentur. Duæ sunt tempestates, quibus hæ angustiæ sunt superabiles, aut cum æstuum relapsu cessante vndarum conflictu, mare tranquillatur: aut vbi pleno alueo æquor ad summum incrementi peruenit, languescente vtrinque vi illa, quæ vndas cōcitabat, velut receptui canente Oceano procellis, & vorticosis pelagi commoti molibus se velut in sua castra recipientibus. De numero quoque Orcadum inter scriptores non conuenit. Plinio sunt insulæ quadraginta, ceteris fere triginta. Proxime ad verum accessit Paulus Orosius, qui triginta trespronit, è quibus tredecim habitentur, cetere deserta & pecori pascendo relictæ.

Æstus marini vis.

Sed de Insulis his satis. Alias lubenter omittimus, quod rarum aut delicatum quid, vel scriptione dignum nihil habeant. Nunc seriem Angliæ Regum describemus.

ORDO

ORDO REGVM ANGLIAE A Guilhelmo Conquestore, ad præsentem vsque Regni præsidem.

Postquã Heraldus, Eduardo absq; liberis mortuo regnũ occupasset, Guilhelmus hic Normaniæ dux, qui vt legitimo hæredi ab Eduardo instituto, Regnum sibi iure euenire prædicabat, propterea quod illum secundo & tertio cognationis gradu attingeret, Legatos ad Heraldum misit, vt abdicato Regno filiæ connubium, quam illi dum in Normania erat spoponderat, maturaret: quorum dum neutrum se facturum ille responderet, armata manu in Angliam venit, & occiso Heraldo, castrisque direptis, confestim Londinum properans, à magnatibus in vrbem receptus, & ab Aldredo Eboracensi Episcopo corona redimitus fuit: qui post extructas diuersis in locis 4. arces, durius atque inhumanius suos regebat, suscepit ex vxore Machtilde filia Comitis Flandriæ tres filios, & quatuor filias. Vergente ad senium ætate, tria magnifica Cœnobia condidit, duo in Anglia, vnum in Vallia, vnum, eo in loco vbi Heraldum prœlio superauerat quod D. Martino dedicatum Cœnobium de bello appellari voluit: alterum prope Londinum S. Seruatoris Cœnobium appellatum

1\. Guilhelmus conquestor.

tertium vero Cadomi in Normania. Tandem multis rebus insigniter gestis, dum finitimorum Francorum agros deuastaret, in Normania læsis ex saltu equi intestinis, mortuus vigesimo primo regni sui anno, ætatis vero 74. & Cadomi in templo D. Stephani sepultus est, anno Christi 1087.

2. Guilhelmus Rufus. Cum Guilhelmus cognomento Rufus Guilhelmi filius, ex patris Testamento Regnum esset adeptus, graue bellum exarsit inter hunc & Robertum natu maiorem Fratrem: verum is cõsilio Lanfranci Cantuariensis Episcopi, ex cuius arbitrio regnum legitime administrabat, superior euasit: nam hic vt antea primi Guilhelmi duritiem leniuerat, ita huius Rufi feram naturam coercuit, vti postea clarius patuit: quoniam hoc antistite mortuo, Rufus perinde vt solutus vinculis, omnia repagula iuris, pudoris & officij refregit: ac primum auaritiæ stimulis actus profanos ac religiosos simul intolerabilibus exactionibus vexauit. In cælibatu vixit perpetuo: statura corporis humilior, bello tamẽ strenuus erat. Decimo autem regni sui anno, dum vrgente fato in eos saltus quos vulgo nouam Forestam vocant, venatũ iret, à Franco quodam milite inter venandum sagitta transfixus, magna suorũ lætitia perijt, & Vintoniæ in templo S. Petri & Pauli sepelitur, anno Christi 1101. ætatis vero 43.

3. Henricus primus. Henricus Guilhelmi filius minimus patre Rege natus, Roberto in Hierosolymitana expeditione

peditione procul absente, post fratris mortem Londini Rex coronatus est: qui vt hominum studia in se verteret, cum dando tum pollicendo munera, etiam leges quas pater tulerat iniquas ac populo graues sustulit. Compescuit Gallos ac VVallos: cepitque fratrem suum in Normania prælio superatum; mox reuersus in Angliam magno suorum plausu excipitur. Ex filia Regis Scotiæ habuit filium Guilhelmum; qui cum dux esset factus Normaniæ, paulo post in Mari periijt, & filiam Mathildem: quæ propter insignem formam nupsit Cæsari Henrico: & deinde Gaufredo cognomẽto Plantagenetæ, Comiti Andegauorũ, Turonũ, & Cenomanorũ: ex quo liberos genuit. Hic trigesimoquinto regni anno in Normania mortẽ obiens sepelitur in oppido Redingio, non sine magno suorum luctu, anno Salutis 1135. ætatis vero 67.

IIII. *Stephanus primus.*

Stephanus ex sorore Adela Henrici nepos Stephani Blesensium Comitis filius, post Hẽricum iniuste contra suum ipsius iusiurandũ regnum obtinuit. Quare Mathildis Henrici filia adiuta à filio, illum è regno expellere conata est, magna incolarum clade; regnoque in diuersas factiones diuiso, Rex ab vna parte, Robertus Comes Glocestriæ ex concubina Mathildis frater, ab altera parte captus est. Tãdẽ Rex ac Comes carceris molestia defatigati & fortunæ belli cõfisi, nulla pacis facta mẽtione se custodia liberãt. Hic genuit Eustachiũ ex Mathilde Comitis Bononiensis

filia

filia:cuius immatura mors peperit Anglis certam stabilemque pacem Nam Stephanus prole destitutus, Mathildis filium Normaniæ ducem regnique successorem constituit. Qui paulo post vndeuigesimo regni sui anno mortuus, sepelitur in Cœnobio ab ipso in Cantio ædificato, prope vicum Feuersanu, anno Christi 1154. ætatis 49.

V. Henricus secundus.

Henricus Mathildis filius magno cum triumpho 14. Cal. Ian. coronatus est. hic inito principatu delegit sibi viros graues, Senatores consiliarosque doctissimos, quibuscum primum leges recognouit atque correxit; dein VVallos rebellantes domuit. Hic filium Henricum annos natum septemdecim coronandum curauit, cuius eum postea pœnituit: cum filius immatura regnandi cupiditate accensus patri se opposuit, adiutusque à Gallo socero est, sed frustra. Huic Ricardus secundus filius quoque restitit: necessitate enim coactus, ad patrem supplex veniens, precibus pristinum dignitatis gradum obtinuit, pacemque inter patrem & fratrem composuit. Dum hæc in Gallia fiunt, Angli Scotorum Regem prœlio victum in Angliam captiuum ducunt. Ex Alconora filia principis Aquitaniæ genuit tres filios & quatuor filias, Corpore fuit opimo & validissimo, artis militaris peritus, atque in rebus bellicis fortunatissimus. Obijt cum triginta quinque regnasset annos, sepultusque est Chiuonæ in Normania, aut vt quidam asserunt in Cœnobio sancti

Ebiul-

Ebrulphi in Principatu Alenconiensi, anno Christi 1189. ætatis 61.

Ricardus Henrici filius suscepto regno magnam classem ex Regni decreto apparat, & ad obsidendam Ierosolymam proficiscitur: sed cum audiuisset fratrem Galli opera adiutum in Normaniam irrupisse, obsidionem soluit, ortaque tẽpestate in Dalmatiam delatus, per Germaniam mutato vestitu iter faciens, à Leopoldo Austriæ Duce Viennæ capitur: propterea quod ex muris captæ Ptolemaidis indecenter signa Leopoldi suis loco positis deiecisset: vbi quindecim menses custoditus, tandem ingenti pecuniæ summa redemptus dimittitur: & in Regnum reuersus, fugatis hostibus deuastauit eorum regiones, fratrem tamẽ consilio atque intercessione amicorum in gratiam recipit, ac deinde pacem cum Gallo componit. Vxorem habuit Berengariam Garsiæ Regis Nauarræ filiam, verum nullos ex ea genuit liberos. moritur decimo regni anno vulneratus sagitta dum oppidum Calacum in Pictonum terra obsideret, sepultus in Cœnobio S. Ebrulphi ad pedes patris, anno Christi 1200. ætatis 43. — *VI. Ricardus primus.*

Ioannes post mortem fratris regnum adeptus, promittendo multa subditos deuincire sibi conabatur, quia Richardus nepotem Arthurum ex fratre Haufredo testamento Regem esse voluerat, qui ob id negotium Ioanni facessebat: tandem in prœlio captus custodięque Rothomagi traditus non diu superstes mansit. — *VII. Ioannes primus.*

man sit. Quod vbi Philippo Gallorum Regi nunciatum est, Ioanni bellum indixit, atque breui totam Normaniam in suam potestatē redegit. Hic in bello gerendo parum fœlix animo tamen sæuo, sed parum forti erat: cumque illi non bene conueniret cum suis principibus & præsulibus, fauorem omnem subditorum amisit. Ex Isabella Comitis Angolismi filia genuit duos filios & tres filias: & quia suis grauis erat atque molestus propter leges diui Eduardi, contrà promissum non restitutas, adsciscitur in Regnum Ludouicus Galli filius, qui eum prælio superauit, ita vt metu fugeret in arcem Neuuarcum, vbi magnis animi doloribus potius quam corporis consumptus perijt, postquam septendecim annos regnasset: sepultusque est Vigorniæ in sūmo tēplo, an. salutis millesimoducētesimo decimo sexto, ætatis vero quinquagesimo.

VIII. Henricus tertius. Ioanne mortuo Principes Henricum filium annos natum nouem Regem salutant, atque bonis artibus instituendum curæ Guilhelmi Comitis Glocestriæ tradūt: quam obrem. Ludouicus Gallorum Regis filius certam pecuniæ summam pactus ex Anglia abijt, ac statim Henricus Londini ab omnibus Nobilibus magna cū pompa coronatur. Deinde cum Leolini VVallia Principis filij Griffinus & Dauid de principatu inter se cōtenderent, exuuntur suis ditionibus, quas Rex suo Regno adijciendas censuit. Huic vxor Alcorana filia Comitis Prouinciæ peperit

duos

duos filios & tres filias. Cumque bellum in Gallia gereret, tradidit Gallorũ Regi Normaniã certo fœdere: nimirũ vt ille totã Aquitaniam Anglis cederet. Porro cũ decreta statutaque in Consilio Oxoniensi suis nõ seruaret, exortũ est bellũ ciuile grauissimũ. Cum iã quinquaginta sex regnasset annos moritur & VVestmonasterij sepelitur, an. 1273. ætatis autem 65.

IX. Eduardus primus. Eduardus Henrici filius post Guilhelmũ Normanũ primus eius nominis annũ agens quintum & trigesimũ Rex factus est. Hic initio Regni sanctissimos quosque ac fortissimos viros ad res bene gerendas in domesticũ suum consiliũ delegit, ac bellum in rebellantes suscepit: quorũ regionibus pacatis, in Gallos contendit qui Aquitaniã recipere conabantur. Scotorũ quoque Regẽ adortus est, quod is Gallo subuenisset: quo tempore Angli Scotiam valde affligebant & deuastabant adeo vt ipsum Regem ceperint, captumque in Angliam deduxerint. Huic vxor erat Alcosana Regis Hispaniæ filia, quæ peperit illi quatuor filios & quinque filias: qua mortua duxit Margaritam Philippi Regis Galliæ sororẽ, ex qua genuit duos filios & vnam filiã. Cum autẽ Scoti alium sibi elegissent Regem, bello eos superatos imperata facere coegit. Rexit annos triginta quinque, & mortuus sepelitur in monasterio Occidentali, magno suorum luctu, anno salutis 1306. ætatis 69.

X. Eduardus Princeps Valliæ post mortem patris

X. *Eduardus secundus.* patris in Scotiam profectus, proceres in sua verba iurare fecit: deinde relicto in Scotia militum presidio, Londinum reuersus magno omnium applausu Rex eligitur. Initio suis charus, dum consilio bonorum acquiescebat. Mox electo Petro quodam Canestonio regni Vicario, vita parum probo improborumque fautore, amisit gratiam omnium bonorum Principum. Cumque iam bene consulentibus minus minusque auscultaret, irruperunt Scoti in Angliam nullo resistente. Ex Isabella Philippi Pulchri Regis Galliæ filia genuit duos filios, ac totidē filios quę in maritum conspirans cum Regni Nobilibus eum latitantem in arce quæ est ad oppidum Brygnorthum comprehendit, captumque deduci iubet in arcem Keneluorthem vbi se imperio abdicat, atque in filium regnandi ius transfert. Anno autem vndevigesimo post regnum susceptum vulneratus in carcere moritur: & Glocestriæ simplici funeris apparatu sepelitur in Cœnobio S. Benedicti, Anno 1327. ætatis 43.

XI. *Eduardus tertius.* Eduardus Rex coronatus est admodum adolescens: quamobrem mater eius ad tempus Regnum administrabat ex bonorum Principum consilio. Mox adultus vicit Scotos, recuperauitque sibi omnia quæ pater amiserat, ipsum Scotorum Regem capiens. Gallorum quoque exercitum in Picardia fudit. Hic ordinem Garterium instituit. symbolumque Ordinis eius ligaculum gestauit

primus

Primus. Vxor ei fuit Philippa filia Comitis Hannoniæ & Hollandiæ, quæ peperit ei tres filias & sex filios, quorum natu maximus Eduardus factus Eques, Regem Galliæ Ioannem prælio victum triumphantis more in Angliam captiuum duxit: verum adolescens hic strenuus ante patrem obijt, relicto vnico filio Ricardo ex vxore Ioanna Comitis Cantij filia. Eodem quoque anno Rex præ mœrore, vti videbatur, in morbum illapsus, vita defungitur, altero & quinquagesimo regni anno, magnoque cum luctu in Occidentali monasterio sepelitur, anno 1376. ætatis 64.

Mortuo auo Ricardus annos natus vndecim Regnum suscepit, prudentique patruorum suorũ consilio omnem tumultum Cantianorum repressit. Hibernos syluestres domuit, ac multa bella in Gallia gessit. Tandem mortua coniuge Anna Imperatoris VVenceslai filia, cum Carolo Gallorum Rege pactis triginta annorũ inducijs eius filiam Isabellam in vxorem duxit. Quamobrem dux Glocestriæ patruus ipsi infensus non cessabat omnia tentare quibus inducias frangeret: quem Rex veritus ne vt antea, illi negotium facesseret, ex insidijs captum necari iussit. Duces vero Lancastrius & Eboracensis cognita fratris nece, confestim exercitum parant, atque Regem polliceri in posterum omnia ex ipsorum sententia facturum coegerunt. Nihilominus Rege omnia pro libidine agente, ac iam demortui Ducis Lancastrij

XII. *Ricardus secundus.*

H fortunas

fortunas inuadente, Regni proceres Henricum Lancastrij filium præter meritum exulem ex Gallijs accersiuere: qui in Angliam veniens Ricardum nullo negotio captum in turrim coniecit: vbi omni ornatu Regio deposito sceptrum atque coronam suis manibus Henrico tradidit. Anno .regni sui vigesimo secundo in carcere perijt, sepultusque est in VVestmonasterio, anno millesimo nonagesimo nono, ætatis 33.

XIII. *Henricus quartus.* Henricus filius patrui Ricardi, à Thoma Cantuariensi antistite, eodem anno quo Ricardus mortem obierat, more maiorum Rex est consecratus. Et licet omnes à Ricardo aut in exilium actos reuocaret, aut carcere damnatos in libertatem assereret, tamen Ioannes dux Excestriæ, multique alij nobiles ab ipso alieni, Regium honorem illi inuidebant, expellendi eius quærentes occasionem: quæ res illis male cessit, cum in insidijs Regi structis depræhensi capiti plecterentur. Habuit vxorem Mariam filiam Comitis Herefordiæ & Essexiæ, quæ illi peperit quatuor filios & duas filias. Sed hac mortua aliam duxit coniugem Ioannam viduam Ducis Britanniæ, ex qua nullos genuit liberos. Bellis ciuilibus hic perpetuò fuit exagitatus, adeo vt nulla vnquam quiete frueretur. Cum classem in expeditionem Ierosolymitanam pararet, cœpit ægrotare apud VVestmonasterium, ac ibidem mortuus est decimoquarto Imperij anno, & sepultus st Cantua-

Cantuariæ in templo Christi, anno millesimo quatringesimo decimotertio, ætatis quadragesimo sexto.

Post mortem patris successit in Regnum filius Henricus, qui statim lasciuos homines- XIV.
que improbos ex aula regiaq; sua sustulit, ac *Henricus*
loco illorũ fortissimos grauissimusq; viros, *quintus.*
in familiaritatem recepit, vt eorum consilio monitis, prudentiaque iuuaretur. Bellum decreto Principum Gallis intulit, superauitque eorum exercitum prope viculum Dangicurtum, viuosque cepit Duces Aurelianensem & Borboniensem cum multis aliis nobilibus: eosque secum in Angliam abduxit, vbi magno cum triumpho à suis fuit exceptus. Deinde ducentis nauibus in Galliam traijciens, duxit Catharinam Caroli Gallorum Regis filiam: ea conditione, vt mortuo socero in Regnum succederet, quod omnes proceres Galli incipiente Philippo Burgundiorum Duce iureiurando futurum ille affirmantes, Franciæ Regentem appellabant. Quare perpetuo ipse Carolũ Delphinũ oppugnabat, omni qua ante præditus fuerat dignitate deiectum: quem sæpe compulit fugere in Bituriges, arcem tum natura locitum populi fidelitate illi tutissimam. Mortuus est anno regni sui nono apud Vincentianum nemus prope Lutetiam, sepultusque maximo subditorum dolore VVindesoriæ in templo S. Georgij, Anno 1421, ætatis 36.

Patre mortuo Regnum adeptus est filius

XV. *Henricus sextus.* Henricus,qui cum per ætatem regno moderando impar esset,Princi pes Humfredo patruo Glocestriæ duci viro prudenti ex patris mandato Anglici regni moderationem commiserunt: atque Ioannem ducem Bedfordiæ caput omnium rerum gerendarum in Francia esse voluerunt. Quo facto fœdere cum Philippo Burgundionum Duce multa præclara bella feliciter gessit, atque Henricum annum agentem Lutetiæ in æde Virginis Mariæ solitis ceremonijs à Cardinali Henrico coronari fecit. Verum postea mutata fortuna Angli inferiores facti, Galliam relinquere coacti sunt,cum vrbe Parisijs annos 15.essent potiti.Hinc exorto in Anglia inter Principes dissidio ciuile bellum exarsit : quo durante Henricus semel in Scotiam fugatus atque bis captus fuit.Ex vxore Margaretha Renati Andegauensium Ducis filia,vnicum filium Edouardum genuit:quæ bellicosa ac strenua erat mulier:adeo vt maritum captum è manibus hostium eripuerit, Regnumque ipsa administrauerit: cum Henricus pacis quam belli amantior,adeoque modesto ac pio esset animo,vt sibi tot mala cum suis, tum maiorum permultis peccatis euenisse prædicaret. Oppressus in carcere Regni sui anno trigesimo octauo,sepultusque est VVindesoriæ in Templo S.Georgij,anno salutis 1472.æt.52.

XVI. *Edouardus quartus.* Cum Henricus in Scotiam profugisset, Edouardus Ducis Eboracensis filius conuocato more maiorum consilio, ad VVestmonasterium

nasterium Rex creatus, Henricum cum armata manu in Angliam redeuntem, in fugã conuertit. non multò post per vestitum dissimulata persona reuersum, locorum custodes capiunt, atque Londinum ad Eduardum mittunt captiuum, qui ipsum custodiæ tradidit. Decem autem exactis annis, Dux Clarentiæ & Comes VVaruicensis capto Eduardo regnum Henrico restituerunt. Verum Eduardus à præsidio quod erat in arce Middelamia emissus, primum Eboracum se contulit, postea in Flandriam fugit; cum post sex menses rediisset in Angliam, statim ditionem suã Eboracensem recuperat: mox subsidio fratris Ducis Clarentiæ prœlio vicit Comitẽ VVaruicensem, profectusque Londinum, Henricum in ædibus Episcopi ibidem capit, quem vnà cum filio Edouardo non multo post in prœlio superato crudeliter necari iussit, quo ita Regnum præter ius adeptum in posterũ stabiliret. Erat hic Edouardus corpore eminenti, atque procero, vt inter omnes excelleret natura. Ex vxore Elizabetha filios genuit duos ac septem filias. Cum bellum pararet in Gallos, moritur decimotertio regni sui anno, & VVindesoriæ sepelitur, anno Christi 1483. ætatis suæ quinquagesimo.

XVII. Edouardus quintus. Mortuo patre, Eduardus filius admodum puer, ex VVallia principatu suo, vbi tum tẽporis sub tutela auunculi Antonij Comitis Ciuerij viuebat, Eboracum ad Ricardũ Glocestriæ Ducem eius patruum, cui soli pater

moriens filiū commiserat, venit: qui statim conuocatis vndique nobilibus, ipso incipiente cunctos in Edouardi principis verba iurare iussit: eumque honorifice Londinum deducens militum caterua stipatus, Antonium Riuerium comprehendit & ad arcem Pontifractensem custodiendum misit, cum huius indignae rei fama Londinum perueniret. Elisabetha Regina cum altero filio in asylum ad VVestmonasterium se abdidit. Ricardus omnium rerum administrationem in se recipiens dissimulato dolo, per Archiepiscopum Cantuariensem effecit, vt mater tandem post multas pollicitationes ac fidem publicam alterum filium Ricardi fidei committeret, vt noui futuri Regis pompae coronationis interesset. Ricardus qui plane aliud animo agitabat, praeda potitus, nepotes ex aedibus Episcopi ad Turrim duxit: quod etiam suspicione carebat, quod illic pompa Rex coronandus ad VVestmonasterium perduci soleat: vbi non multo post Regios filios per Iacobum quendam Torellum exemplo inaudito necauit, Deo (vti videbatur) parentum scelera in filijs vindicante. Verum quo genere mortis miselli pueri affecti fuerint, non satis liquet. Obijt anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, aetatis 13.

Ricardus sumto de Antonio Comite Riuerij ad Pontifractū supplico, occisisque regijs filijs, Rex vnā cum vxore Londini creatur, atque ita populo ob metum non repug-

repugnanate, per potentiam quorundam præter ius & æquum Regno potitus, passim deuulgauit nepotum suorum patrem ex illegitimo thoro natum fuisse, atquè ob id illum & illius filios Regno indignos, seque iure optimo Regnum occupasse. Verum dum omnia pro libidine agere non intermitteret, Dux Buchyngamiæ cum Episcopo Elieusi in ipsum conspirauit: communicatoque consilio cũ Elisabetha Edouardi Regis vidua, Heuricum Richemontij Comitem Henrici sexti nepotem è Gallijs in Angliam accersiuit; vt ducta in vxorem Edouardi Regis, innocentium sanguinem vlcisceretur, pulsoque Tyranno regnum occuparet. Henricus rei bene gerendæ opportunitatem nactus, cum paucis nauibus & armatorum millibus duobus in VValliam delatus est, multorumque Principum accessione auctus, non procul à pago Bosuiorth cum Ricardo confluxit, atque ipso interfecto, exercitum eius profligauit. Hic habuit ex Anna vxore, VVarvvicensis Comitis filia, vnicum filium, qui tertio mense postquam Princeps VValliæ factus fuerat, ante patrem obijt. Duos tantum regnauit annos, magna crudelitate in suos vsus. Corpore erat pusillo ac deformi, facie truculenta. Mortuus sepelitur in monasterio Francscanorum Lecestriæ, sine vllo funeris honore, Anno Domini 1486. ætatis suæ 51.

Post adeptam victoriam, Henricus Londi-

Londinum veniens maxima omnium lætitia ac congratulatione, quod tyrannum occidisset, excipitur: coactoque ad VVestmonasterium concilio, Principum ac populi iussu Rex creatur Henricus ita præter suam & multorum opinionem Rex factus, publico edicto voluit omnibus parci, ac bona restitui, qui in eius fidem venirent: quo ita placatis aduersariorum animis, sublataque omni seditionis ansa, Regnum optimis legibus administrare posset. Verum Comes Lincolniensis fictitium quendam Clarentiæ Ducis filium Regem facere volens, ad viculum Stoke prælio superatus, cum multis alijs coniurationis Principibus occubuit. Quo intestino bello superatos, dum in Gallos bellum pararet: ecce Margaretha Ricardi soror viduam Caroli Audacis, fratris filij loco, iuuenem quendam Petrum Varbechum ab se educatum, probeque in Eboracensi stirpe edoctum in Henricum armauit: quem comprahensum, ætati Rex parcens, viuum seruabat: tandem è fuga retractum laqueo necauit. Suscepit ex vxore Edouardi Regis filia quatuor filios totidemque filias, reliquit superstites tres. Pulchro & procero erat corpore, prudēs, virtutibusq; multis ornatus: qui cum tres & viginti annos Regno præfuisset, moritur, magnoque cum luctu ad VVestmonasterium sepelitur, anno Domini 1509. ætatis suæ 52.

Eodem anno quo pater è vita excesserat, Henricus filius annum agens decimum octa-

uum ad VVest monasterium vnà cum vxore Catharina ab Episcopo Cantuariensi corona redimitur. Qui statim consilio Vintoniensis Episcopi & Thomæ Surrij in summa tranquillitate regnum administrabat. Deinde duobus exactis annis, principum decreto, in gratiam Pontificis aduersus Gallum sociale bellum ingressus, exercitum conscripsit, atque in Continentem profectus, Ludouicum Francorum Regem fugauit, redactis in suam potestatem ciuitatibus Tornaco & Morino, alijsque quibusdam locis. Dum ita felici successu bellum in Gallijs gereret: ecce Iacobus Scotorum Rex armatorum millibus quadraginta in Angliam irruens, ad radices montis Floddanis prælio superatus ab Anglis occiditur. Hic suasu consilioque Thomæ Volsei Cardinalis Eboracensis repudiauit vxorem suam Ferdinandi Hispaniarum Regis filiā, superinducta Anna Comitis Herfordiensis filia: vnde varij motus, magnaque rerum commutatio exorta est. Mortuus est regni sui anno trigesimo octauo, relicto vnico filio Edouardo, & duabus filiabus Maria & Elizabetha, sepultusque est VVindesoriæ, anno Domini 1546. ætatis 57. *XX. Heinricus octauus.*

Edouardus nouem annorum puer post patris mortem Rex factus, vixit sub tutela auunculi Comitis Richfordiæ: qui procerum consensu Scotis bellum intulit ob fidem violatam: quod Hameltonius Arraniæ Comes Scotię præfectus vnicam Iacobi Regis filiam *XXI. Eduardus quintus.*

Edouar-

Edouardo pactam in vxorem dare recusaret. Cumque iam bona in Scotiæ partem in suam potestatem redegisset, exorto inter nobiles Anglos & plebeios tumultu, ab externo bello Rex prudens destitit. Tandem pacatis domesticis dissidijs, Thomas Crammerus Archiepiscopus Cantuariensis vir insigni doctrina præditus, Regi author fuit, vt accersitis ex Germania Bucero & Paulo Fagio, Religionis statum innouaret: verum summæ & indubitatæ spei Princeps, in morbum tabificum incidens, re de liberata cum consiliarijs Regni, & Archiepiscopo Cantuariensi, Ioannam Suffolciam Henrici è sorore proneptem hæredem Regni instituit: idque contra extremam patris Henrici voluntatem, qui Mariam filiam regni hæredã secundam, & Elizabetham tertiam testamento esse voluerat Moritur sexto regni suscepti anno. Corpus magno cum luctu maiorum sepulchro ad VVestmonasterium illatum est, anno Domini 1553 ætatis decimoquinto.

XXII. *Maria Henrici filia.* Cum post mortem Eduardi Regis Ioanna proclamaretur Regina: Maria per Norfolciam confugit in arcem Frammigam, seque pro Regina gerens amicorum opem implorauit. Quo cognito Dux, Northumbrius collectis copijs Londino mouens, ipsam vt comprehendat, persequitur. Interim qui in vrbe erant consiliarij offensionem populi nõ ignorantes, mutata voluntate, Mariam eligũt reginam, & Ioannam custodiæ mandant, datisque

tisque ad exercitum literis,rem omnem aperiunt,atque Northumbrium Cantabrigiæ à suis captum in vrbem adduci iubent, quem populus multis probris atque conuitijs excepit:quoniam suspicio erat illum,vt nurum suam ad regalem dignitatem produceret regis vitæ insidiatum fuisse. Maria Londinū veniens, liberatis è carcere pontificiæ religionis Episcopus, Northumbrium læsæ maiestatis damnatum capite plectit. Post hæc regno inaugurata Hispaniarum regi Philippo nupsit, & Romanam vbique instaurauit religionem: vnde tumultus passim in regno exorti: quorum autor Dux Suffolcius post compræhensus, vna cum sorore Ioanna atque eius marito Northumbri filio securi percussi sunt. Sexto regni sui auanno absque liberis mortua sepelitur ad VVestmonasteriū,anno Domini 1558. ætatis suæ 47.

Elisabetha sorori suæ Mariæ in regnū successit,anno 1559.ætatis vero suæ vigesimo tertio.hæc abrogata rursus Catholica Romana religione,reformatam introduxit.Præ reliquis omnibus in hoc felix ac fortunata est, quod in magna rerū tranquillitate amplissimi istius ac periculosissimi Regni habenas mullos souue feliciter ac fortiter tenuerit,cum interim alias Christianorū prouincias misere deuastari tæ fuerint. XXIIII. *Elisabetha Henrici 8. filia.*

Decessit Elisabetha Regina Anno MDCII. postri die Calendos Aprilis, postquam

postquam vixisset annos LXX. & regnum summa cum laude annos XXV. administrasset.

Iacobus I. Elisabetha regina defuncta, vnanimi procerum consensu serenissimus Scotiæ Rex Iacobus V. tamquam proximus heres euocatus, & magno vniuersi populi plausu vbique exceptus, XXV. Iulij regno fuit inauguratus, quod & hodieque sapientissime felicissimeque administrat: de cuius virtutibus hoc loco quidquam dicere supersedeo, vt quæ non dico integro Panegyrico, sed multis libris describi non possint. Is ex Anna sereniss. Daniæ Regis sorore duos suscepit filios, Henricum Valliæ Principem: quem diuina indole præditum nuper (eheu!) inuida fata rapuerunt, XVI. Nouemb. An. MDCXII. morbo fere subitaneo exstinctum. De quo illud Virgilij merito exclamare possimus:

Hunc tantum terris ostendēt fata, neque vltra
Esse sinent.

Sed abijt ille jam cœlesti illo & æterno regno potitus. Superest alter filius Carolus Dux Rothesaiæ, natus anno MDC. tantorum regnorum, quæ in Iacobo patre coniuncta sunt, heres: & filia vnica, Elisabetha, Serenissimo Principi ac Domino, D. Friderico V. Comiti Palatino, Electori, &c. hoc ipso anno MDCXIII. felicissimis auspicijs nupta: quæ velut sol ex altero illo Europæo orbe prodiens, Germaniam nostram illustratura, venit.

FINIS.

